BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
27 B
40

FORMALITATVM DOCTORIS SVBTILIS SCOTI, ANT. SIRECTI, ANTONII TROMBETAE, ET STEPHANI BRVLIFERI,

eximiorum Theologorum, Ordinis Minorum,

MONOTESSERA IN PHILOSOPHIÆ Ariſtotelis & Theologiæ theoricæ ſtudioſorum gratiam adunata, ac in tres libros capitibus ſectos ordine perfacili digeſta.

Studio & opera F. IOANNIS DV DOVET. Franciſcani Dinannici, in Sacra Theol. Bacchalaurei.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA



VENETIIS, M D LXXXVII.

Apud Hæredes Melchioris Seſſæ.

F. Aegidius Dauid Bachalaureus minor, Lectori ſalutem.

Nil tibi ſit mirum, lector, certiſſima res eſt:
Aſpiciens alibi, hæc turbida cun[illegible]a vides.
Talia quæ quoniam eſſe nemo certe dubitabat
Hæc per clara auctor, tradere nunc ſtuduit.
Hęc igitur cui nunc ridet prouincia ſecum
Num lætum? verſet viribus ipſe ſuis.
Sedulo num ſophię præſtarit pectora ſacræ?
Num coleat ſano dogmate quæſo probet.

F. Stephanus Radou minor Dinnannicus in ſacris Biblijs Bacchalaureus formatus.

L. S.

Doctis cognita ſcire nunquid optas?
Lector candide tu hos legas libellos,
Dv dovet ſtudio, labore quoque
Ample nunc tibi traditos legendos:
Omiſſis aliis prius relictis
Prolixiſque libris identitatum
Qui mendis, repetitionibuſque,
Pleni ſunt- que referti, at inuenire
Digeſtos poteris per ordinem vnum
Hos tres: ne pariant grauamen. Ergo
Illi non debitas repende grates
Quauis poſſibiles tibi fruens valeto.

Celeberrimo

DOCTORI THEOLOGO,

H. M. N. Oliuario de Francha,

Eccleſiæ maioris Venetenſis Eccleſiaſtæ facundiſſimo: ac Conuentus Fratrum Minorum eiuſdem vrbis digniſſimo Guardiano, & vigilantiſſimo paſtori.

F. Joannes du Douet humiliter ſalutem dicit.

BEnè ſibi conſulunt (vir integerrime) qui magna & ardua molientes, de rei tentandæ faſtigio deliberant ſiquid enim δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι. Quod ſi animo diligentiori indagine rimatus fuiſſem: nunquam formalitatum Doctoris ſubtilis Scoti Theologorum facile principis, Necnon F. Antonij Sirecti Noſtræ prouinciæ Turoniæ, & eiuſdem Commentatoris Antonij Trombetæ, prouiciæ D. Iacobi, ac vrbinatis Epiſcopi, & Stephani Brulliferi prouinciæ Franciæ, ordinis noſtri ſeraphici minorum, doctorum eximiorum, harmoniam contexendā aſſumere prçſumpſiſſem. Onus enim eſt meis viribus impar, quod magno iudicio præditis noſtri ordinis huius temporis viris, erat reliquendum: quorum nequidem capax ſum & idoneus auditor, Hinc fu-

turum eſt,vt cum noſtram emiſerimus opel lam,cognoſcatur candella, media luce,ſoli lumen ſubminiſtrans. Etenim tam altè condita ſunt horum librorum archana, vt non niſi in paleſtra literaria excercitatiſſimis pateant. Neque facile poterit quis peripateticorum, & theologorum ſpeculatiuorum, compræhendere dogmata:niſi hac ſola via, quam qui caluerit, nullo negotio ex difficultatum vtriuſque philoſophię nodis ſe extricabit,Cognoſcet nanque huius ſcientię ſtudioſus ea quæ ab Ariſt.& Commētatore de philoſophia, & doctoribus ſacris de omnipotenti deo tradita ſunt obſcuriſſime. Ex quò videre licèt quā difficile ſit & arduum hoc negotium, multoque periculoſius ei qui verbis magnitudinem rei non poteſt explicare. Quo factum eſt vt multotiès me ab opere retraxerit rei grauitas & timor futuri mali euentus,ſed cum cernerem in tali materia quodammodo elaborandum eſſe:multoque plures id exequi polite poſſe quā velle: viribus reſumptis, perſuaſus altius ituros ad ſumma nitentes,quam qui deſperatione ſumpta ad ima manebunt: quoniam vt ſcribit Lyricus

Eſt quodam prodire tenus ſi non datur vltra:

Horat. lib. 1. epiſ. 1. operi accinctus, hanc noſtra opera adunatam Harmoniam & monoteſſeram, ex præclarorum doctorum Theologorum. H.M. N.P.Bourgongne Turonē. Eccleſiaſtę,pręceptoris

ceptoris mei, Mauricij Hyllareti, Eccleſiaſtę Aurelianeñ. Iuliani Dauidis Nanetenſis, nuper Gardiani Pariſieñ. & noſtri ordinis Franciſcani dum viueret lilij, Oliuerij Menier, Gardiani & cuſtodis Pictauenſis noſtri conuentus Dinnanici Alumni, dictatis & amplificatam & ditatam in lucē expono: ad quorundam meorum, qui eam inter noſtros libros repertam legerunt: (cum primo propter noſtrum ſolius ſtudij ſubleuamen adunata fuerit) vehementem efflagitationem, Tibi autē (eccleſiaſtes diſertiſſime) hoc opus conſecrandum & dicandū exiſtimaui: quod nullum à te ſcirem (ne dicam tui & noſtri conuentus Dinannici alumnum verumetiam in noſtro ordine) ſtudio magis affectum. Conſiderans ergo tuum animum dilatandum cùm viderit noſtrum erga literarum amatores ſtudium: hoc tibi opuſculum offero, cum paupercula vidua duo minuta in gazophilacium mittēs: ſupplex exorans vt ſuſcipias non vires, ſed voluntatem. Hoc autem non offero pro tuorum in me beneficiorum copia, cum neque hoc opus neque curſum theologicum nunquam aggredi conatus fuiſſem, niſi ſemper tuæ ſolitæ & ſingulari largitati innixus (quanquam H.M.N.R. Henrici nuper noſtræ almæ prouinciæ Turoniæ miniſtri prouincialis, & R. P. Ioannis Tchânet pij, docti, & religioſi viri noſtri Conuentus Dinannici poſt prædi-

ctum venerabilem Henricum, guardiani meritiſſimi, aut D.Du. Tyuarlen bonæ memoriæ deffuncti & eiuſdem nobilis D.ſponſæ Marguaritæ De Beaumanoir & totius ſuæ nobilis familiæ, qui mihi ſemper in omnibus fauerunt non obliuiſcar) ſed pro arrha & pignore eorum quæ toto vitæ meæ curriculo humilibus obſequijs tibi rependere potero. Ad te autem velut ad tutum aſilū & ſacram anchoram, recurram, vt mihi indigenti ope & conſilio ſuccurras ea pietate qua ſemper eccleſiā dei es proſequtus, Huius rei fidem facient Dinannici Maclouienſes, Nanetenſes, & Rhedonnenſes, Venetenſes quoque qui à te plus incrementi fidei accepiſſe gloriantur, quam Mediolani Ambroſio, vel Conſtantinopolitani, Chriſoſtomo. Quid plura? Furente hereticorum feruore tāto impetu, vt iam videretur Antichriſtus ſeuire: credulos ita in fide roboraſti, commotos conſolidaſti, & errones ad gregem dominicum reduxiſti, vt omnes tunc tuis iuſſis & conſultis doctrinæque orthodoxæ præberent aſſenſum. Omitto labores & erumnas quæ tibi ex pio regimine Conuentus Venetēn. contigerunt. quanquam omnium tibi concitaueris applauſum. Quinimo ad alia grauiora, & ſuperiora in noſtra prouincia officia vocatus omnium expectationi ita ſatisfeciſti, vt cōtēplatiuam & actiuam vitam amplectens; permanſeris infractus nec in ſecundis

cundis

cundis elatus nec in aduerſis deiectus. Quò fit vt meo rudiuſculo ingenio te facilius cō donare putē, ſiquid minus præſtitero, quam par ſit, vel aliqua quę vel repetita vel ſuperuacanea, nobis viſa ſunt, breuitati ſtudentes omiſerimus. Quod ſi quid forſam minus bene fuerit poſitum, omnia correctioni meliori indio præditorum ſummito, nihil derogans hijs qui iſta non modo corrigere verū etiam omnino immutare contraria aſſertione volent. Nihilominus te in æuum mei iuris patronum & deffenſorē inuocabo, Deū opt. & Max. orās: vt poſt diuturnam vitam te ad gaudia Paradiſi perducere dignetur, vale muſarum fautor, Pariſijs 1579. Idibus Ianuarij.

Tibi obſequent.

F. I. DV DOVET.

F. Ioannes Du Donet B. Theologus. L. S. D. P.

Hos tres, (candide Lector) non tibi trado libellos,
Terſos vt mundos pumice, ſed faciles,
Quod opus, hoc noſtrum paruum, ſi ſit tibi cordi:
Accipe charè quantum exiguum: & fruere.
Fontani libros præclaros Rethoricorum,
Excuſes: Ciceronis Topicorum: opera
Et lyrici: quorum me lectura manebat:
Iſtos cum ſtudui exponere luminibus.
Quod ſi forte exoſas quis faſtidiat eſcas:
Non gratas liber deſerat & valeat.

TABVLA TOTIVS OPERIS SEQVENTIS,

praecipuas complectens Materias.

ABſolutum quid libro.2.cap.7
Abſolutum non eſt genus quia tranſcendens lib.2.cap.8
Abſolutum opponitur depēdenti & reſpectiuo, lib.3. cap.4
Abſoluta in Deo ſunt etiam in creatis abſoluta & reſpectiua In Deo reſpectiua ſunt increatis lib.1.cap.29
Abſtractio & eius ſpecies. li.1.cap.14.& 15
Accidens quid & quot modis dicatur lib.2.cap.16
Accidentia non ſunt entia niſi quia entis lib.3.ca.2
Accidens Metaph.Phyſic.& Logicum lib.2.cap.16
Actus Intellectus triplex lib.1.ca.7
Actus exiſtentiæ & formalis lib.2.cap.19
Æternum,& æuum lib.1.cap.24.
Agens liberum & naturale lib.2.cap.15.
Agens per ſe & per accidens Idem
Agens omne agit propter finem Idem
Alio pater quo Deus lib.3 cap.15
Anima habet genus & differentiam lib.2.cap.22
Animæ ad animarū cuſtodiam nō mittuntur lib.2.cap.24
Angelus habet genus & differentiam, lib.2.cap 22.
Angeli Incorporei li.2.ca.24.
Angeli plures in eadem ſpecie Idem
Angeli ab anima ſpecie diſtincti Idem
Angeli ad animarum cuſtodiam mittuntur Idem
Angeli corpora aſſumunt, & quæ, & qualia in eis opera exercere poſſint lib.2.cap.26
Angeli non mouent orbes, lib.2.ca.29
Angeli potentia executiua corpora mouent contactu virtuali Idem

Angeli

Angeli componuntur ſua intellectione, Idem
Appropriata perſonarum lib.1.cap.8
Aptitudo ſine potentia lib.2.ca.5
Argumentum à toto in modo quomodo valeat lib.1.ca.10
Attributa in diuinis lib.1.cap.8
Auguſtinus in Philoſophia fuit Platonicus lib.2.ca.25

C

Caro & eſſe carnis differunt, lib.3.cap.12
Cauſa quid & quotuplex lib.2.cap.15
Cauſa extrinſeca & intrinſeca Idem
Cauſabile & incauſabile Idem
Cœlorum materia eadem quæ elementorum lib.2.cap.28
Cœlorum motus ceſſabit in iudicio Idem
Cœli extrinſecè incorruptibiles Idem
Cognitio intuitiua & abſtractiua lib.1.cap.32
Cognitio in verbo & in genere proprio lib.2.cap.29
Compoſitio ex realitate & realitate lib.2.cap.22
Compoſitio ex re & re lib.2.cap.23
Compoſitio ex his & cum his lib.2.cap.29
Componitur omnis res expoſitiuo & priuatiuo Idem
Compoſitio phiſica & metaphyſica Idem
Componuntur omnia creata cum his Idem
Conceptus formalis & obiectiuus quid lib.2.ca.1
Concretum & abſtractum ſola ratione differunt li.3.ca.17
Contingens quid & quotuplex lib.2.cap.30
Contradictio maxima oppoſitionum lib.3.cap.3
Contradictio via maxima ad concludendam diſtinctionem Idem
Creatio actiua & ſimiles relationes non ſunt reales lib.3.cap.4
Creatura nulla habet omnem entis perfectionem lib.2.cap.29
Creaturæ omnes à Deo dependent vt ab efficiente, & fine lib.2.cap.34
Creaturæ omnes ſunt ad aliquid denominatiuè lib.2.cap.35

De

D

De & ex differunt lib.1.cap.13
Denominatio extrinſeca & intrinſeca lib.1.cap.12
Dependentia duplex lib.2.cap.35
Deus non erat homo in triduo lib.1.cap.10
Deus eſt menſura extrinſeca omnium rerum lib.2.cap.12
Deus ab æterno non fuit creator nec dominus &c. libr.3. cap.4
Differentia & diuerſa non eadem ſunt lib.2.cap.9
Differentiæ inter modum intrinſecum & differentias lib.1 cap.30
Differunt vniuocum eſſe & vniuocè prædicari lib.2.cap.1
Diſtinctio rationis, lib.3.cap.5
Diſtinc.rationis duplex lib.3.cap.6
Diſtinc.rationis quomodò inueſtigetur lib.3.cap.7
Diſtinc.ex natura rei quid lib.3.cap.9
Diſtinc.ex natura rei.Ariſt.cognita, lib.3.cap.12
Diſtinc.ex natura rei qnomodo inueſtigetur lib.3.cap.13
Diſtinc.formalis lib.3.cap.15
Diſtinc.form.quomodo inueſtigetur lib.3.cap.18
Diſtinc.Realis requirit ambo extrema realia lib.3.cap.21
Diſtinc.realis quid & eius 4.conditiones lib.3.cap.22
Diſtinc.realis quomodo inueſtigetur lib.3.cap.23
Diſtinc.eſſentiale, & quomodo inueſtigetur lib.3.cap.24
Diſtinc.ſubiectiua primo modo lib.3.cap.25
Diſtinc.ſubiect.2.modo lib.3.cap.26
Diſt.obiectiua lib.3.cap.27
Diſtinc.minima eſt rationis maxima obiectiua lib.3.ca.29
Diuinitas non reliquit corpus Chriſti in ſepulch. nec animam in inferno lib. 1.cap.9
Duratio triplex lib.1.cap.24

E

Elementa non ſunt ſimplicia lib.2.cap.28
Elementa renouabuntur lib.2.cap.28

Ens eſt in potentia meta. & logica ad mōdos intrînſecos lib.1.cap.31
Ens reale lib.2.cap.6
Ens rationis Idem
Ens eſt vniuocum lib.2.cap.1
Ens diuiditur in reale & rationis, lib.2.cap.6
Ens reale diuiditur in abſolutum & reſpectiuum lib.2.ca.7
Ens reale diuiditur in quātum & non quantum lib.2.ca.11
Ens quantum diuiditur in vnum & multa lib.2.ca.13
Ens diuiditur in ens cauſabile & incauſabile lib.2.ca.15
Ens finitum diuiditur in ſubſtantiam & accidens li.2.ca.16
Ens in potentia poteſt diffiniri li.2.cap.17
Ens à Ratus.&c. & à Reor &c. lib.2.cap.17
Ens & res ſynonima lib.2.cap.17
Ens ſimpliciter & ſecundum quid lib.2.ca.18
Ens in potentia & in actu lib.2.cap.19
Ens ſimplex & compoſitum lib.2.cap.20
Ens diuiditur in neceſſarium & contingens lib.1.cap.31
Ens diuiditur in ens dependens & independens lib.1.ca.34
Eſſe eſſentię lib.2.cap.17
Eſſe cognitum & poſſibile lib.2.ca.18
Eſſentia diuina nec generat nec generatur lib.1.cap.15
Eſſentia diuina eſt ſingulariſſima li.3.ca.16

F

Figmenta non mouent niſi in partibus lib.1.cap.5
Filius diuinus producitur per modum intellectus li.1.ca.8
Filius diuinus theologis neceſſarior quam philoſophis ſecunda intelligentia lib.2.cap.33
Finis prior in intent.vlti.in executione lib.2.ca.15
Finitum & infinitum ſeipſis differunt lib.1.cap.19
Finitum & infinitum quantitati congruunt lib.2.cap.12
Forma ſolis aliam poteſt informare materiam lib.2.ca.5
Forma dicitur à formali lib.1.cap.1
Forma partis & accidentalis differunt idem
Formæ ſex acceptiones idem
Formalitas quid. idem
Formalitas dicitur à forma, idem

Formalitas bifariam ſumitur idem
Formalitatem non oportet & mouere intellectum, modo ipſum terminet idem
Formalitates plures ſunt in deo lib.3.cap.15

G

Genus poteſt eſſe ſine multis ſpeciebus lib.2.cap.4
Genus eſt extra conceptum differentiæ lib.2.cap.9

I

Idea formalis & obiectiua lib.1.ca.22
Identitas rationis lib.3.cap.8
Indentitas ex natura rei lib.3.cap.8
Identitas formalis lib.3.cap.14
Identitas realis lib.3.cap.30
Identitas eſſentialis lib.3.cap.23
Ignis in ſua ſphæra nutrimento non eget lib.2.cap.28
Intellectus intelligit particulariter lib.1.cap.7
Intellectus agens & patiens lib.1.cap.6
Intelligibile actu & patientia lib.1.cap.6
Intelligentia ſecunda lib.2.cap.32

M

Materia & forma ſunt abſoluta & primo diuerſa libr. 2. cap.9
Materia poteſt eſſe ſine forma lib.2.cap.10
Materia prima eſt in pura patentia, ſecunda non pura li.2. cap.19
Materia prima habet genus & ſpeciem lib.2.cap.22
Materia eſt principium indiuiduationis lib.2.cap.24
Metaphiſicæ ſubiectum lib.1.cap 4
Metaphiſicæ magis quam alii conuenit ſcientia formalitatum Idem
Metaphiſica conſiderat naturas abſtractas Idem
Mixtum quid lib.2 cap 28
Modi 4.dicendi per ſe lib.1.cap.9
Modi nullius ſunt propoſitiones in quibus prædicatur ens per accidens vel ratio in ſe falſa lib.1.cap.10
Modus intrinſecus lib.1.cap.25
Modis intrinſecis ab omni quiditate primo diuerſis libr.1. cap.26

Modus intrinſecus non eſt idem quiditati ſuæ formaliter poſitiuè,nec ab ea diſtinguitur formaliter poſitiue.lib. 1. cap.27.
Modi intrinſeci diuinæ eſſentiæ lib.1.cap.29
Modi inferendi indentitatem ex alia lib.3.cap.28
Modi inferendi diſtinctionem ex alia lib.3.cap.29
Motus cœlorum ordinarius & extraordinarius Naturalis & violentus lib.2.cap.27
Multiplicatio poſterioris non arguit multiplicationem prioris lib.3.cap.19

N

Natura lib.3.cap.9
Naturale & artificiale lib.2.cap.27
Neceſſarior non eſt filio pater diuinus lib.2.cap.30
Neceſſarium quid & quotuplex lib.2.cap.30
Neceſſarium incomplexum ex ſe & à ſe, & ex ſe & ab alio apud Philoſophos & theologos lib.2.cap.31
Notiones in deo lib.1.cap.8
Notiones non ſunt quantæ lib.2.cap.11

O

Obiecti duæ rationes mouendi & terminandi lib.1.cap.1.
Obiectum noſtri intellectus lib.1.cap.5
Ordo naturæ multiplex lib.1.cap.20
Ordo inter animæ potentias lib.1.cap.6
Ordo idem in 2.int.qui in primis lib.1.cap.2.& 2.cap.4
Ordo inter Relatiuum relationem &c. lib.2.cap.7
Ordo inter ſubſiſtent ſubſtantiam &c. lib.3.cap.9
Ordo non eſt eſſentialis inter diſt.& identi. lib.3.cap.28

P

Paternitas eſt forte menſura relationum lib.2.cap.12
Perſonæ diuinæ conſtituuntur eſſentia & relatione libr. 3. cap.15
Perſonæ diuinæ realiter diſtinguuntur lib.3.cap.2
Philoſophis trinitas incognita lib.1.cap.13
Potentia multiplex lib.1.cap.31
Potentiæ collatiuæ tres lib.2.cap.6
Prędicatio multiplex lib.1.cap.11
Prędicatio ſubſtantialis lib.1.cap.13

Prędicatio identita lib.1.cap.14
Prædicatio ſignata lib.1.cap.16
Prædicatio vniuoca & æquiuoca lib.2.cap.1
Prius 9.modis dicitur lib.1.cap.27
Prius natura à poſteriori eſt ſeparabile lib.1.cap.19
Prius generatione lib.1.cap 23
Prius perfectione lib.1.cap.22
Prius origine lib.1.cap.21
Prius duratione lib.1.cap.24
Propoſitio hæc deus eſt quomodo ſit immediata, & prior attributis, licèt poſterior eſſentialibus lib.1.cap.29

Q

Quantitas molis & virtutis lib.2.cap.11
Quidditas lib.1.cap.1
Quidditatiuum dicitur multis modis lib.1.cap.2

R

Ratio formalis lib.1.cap.1.& 2.cap.2
Ratio in ſe falſa contingens & impoſſibilis lib.1.cap.8
Ratio in ſe falſa eſt de omni falſa lib.1.cap.10
Realitas tot modis dicitur quot Res lib.1.cap.1
Realitas communior quidditate lib.1.cap.2
Relationes in deo communes & notionales lib.1.cap.8
Relatio quid & quotuplex lib.2.cap.7
Relatio intrinſecus & extrinſecus adueniens eodem
Relatio realis & ſuæ conditiones lib.3.cap 4
Relatio rationis eodem
Relatio includit habitudinem ad terminum in primo modo & ad fundamentum in ſecundo lib.3.cap.5
Res eſſentiæ & exiſtentiæ lib.1.cap.1
Res quædam à 4.cauſis cauſabiles lib.2.cap.15
Res & ens ſynonima, lib.3 cap.2
Res ſumitur in diuinis eſſentialiter & notionaliter libr.3.cap.19
Reſpectiuum non eſt genus quia tranſcendens lib.2.cap.8

S

Scientia formalitatum eſt de realibus & rationis lib.1.c.3
Secundæ intentiones vnde ſic dictæ lib.1.cap.16
Senſus non ſe profundant uſque ad ſubſtantiam rei li.1.c.5

Senſus

Senſus non cognoſcit niſi ſingulariter lib.1.cap.7
Sillogiſmus expoſitorius lib.1.cap.15
Signa originis lib.1.cap.22.
Simpliciter ſimplex lib.2.cap.21.
Solutiones obiectionum contra identitatum & diſtinctionum numerum lib.3.cap.30
Species int.phant.& ſenſibilis. lib.1.cap.6
Species int.de quibus habeatur lib.1.cap.6
Spirituſanctus producitur per modum voluntatis li.1.ca.8
Subſtantia quid & quotuplex lib.2.cap.16
Succeſſiuum lib.1.cap.24
Summè ſimplex. lib.2.cap.20

T

Talpa cæcus lib.2.cap.29
Tempus lib.1.cap.24
Totum log.phyſic.& meta. & quomodo à partibus diſtinguatur lib.3.cap.16
Totum quomodo non eſt aliud à partibus lib.3.ca.11
Totum dicit tertium reſultans ex partibus lib.3.ca.11
Tranſcendens lib.2.cap.4
Tranſlatio realis & metaphorica in cognitione lib.1.ca.6

V

Vnitas vnionis & identitatis lib.2.cap.10
Vnitas multiplex lib.2.cap.14
Vnitas acerui lib.2.cap.20
Vnitas proximum fundamentum identitatis lib.3.cap.1
Vnitas conſequens eſſe cognitum eſt fundamentum identitatis rationis lib.3.cap.4
Vnitas conſequens naturam rei fundat identitatem ex natura rei lib.3.cap.4
Vnitatis multi gradus lib.3.cap.1
Vnitates tot ſunt in aliquo quot entitates lib.2.cap.14
Vniuerſalium. 5. duo in qui & 3. in quale dicuntur libr.1. cap.2
Vniuocum & æquiuocum ſunt immediata lib.2.cap.2
Vniuocatio tranſcendens & limitata lib.2.cap.4

Finis Tabulæ huius operis.

FORMALITATVM DOCTORIS SVBTILIS SCOTI, ANT. SIRECTI, ANTO. TROMBETAE, ET STEPHANI BRVLLIFERI,

eximiorum Theologorum Ordinis minorum, Monoteſſera, in philoſophiæ Ariſtotelis, & Theologiæ, theoricæ ſtudioſorum gratiam adunata. Lib. I.

PRAEFATIO.

OMNIS quæ à ratione ſuſcipitur de aliqua re inſtitutio (ait ille totius Latinæ eloquentiæ pater Cicero, in prologo lib. 1. Officiorum) debet à diffinitione proficiſci: vt intelligatur quid ſit id de quo diſputetur. Qua commotus authoritate, diffiniendum duxi & explicandum quid ſit formalitas, & quàm latè eius pateat denominatio: priuſquam ad maiora & obſcuriora procederetur. Erit igitur hic prior libellus de Diffinitione (ſeu potius deſcriptione) formalitatis, & eius latitudine, de ſubiecto ſcientiæ formalitatum, & noſtri Cicer. Offi. 1.

 intel-

intellectus, atque de eius operationibus. Hinc nacti occaſionem dicemus de conceptibus formalibus & obiectiuis, & ſic de differentijs prædicationum, de modis prioritatis, & de modis intrinſecis, vt facilior ſit notitia diuiſionum entis in ſecundo libello, & identitatum eius atque diſtinctionum in tertio. Nunc itaque ad id quod inſtitutum eſt, accedamus.

De diffinitione formalitatis & multiplici acceptione nominis formalitatis.

CAPVT I.

FOrmalitas eſt ratio obiectiua, ſub qua vnaquæque res, ex natura rei, cōcipi poteſt. Formalitas autem a formali deriuatur: Et formale a forma. Forma autem multiplex eſt, ſæpe enim ſumitur pro decēti membrorum lineatione (ſi ita fari liceat,) & debita eorundem coloratione: Et ſic hominem in nulla re deformitatem habentem, dicimus, egregia forma virum: ſeu formoſum & pulchrum. Secundò ſumitur forma, pro omni ſubſtātia immateriali, eo modo quo Deus, Angeli, & intelligentiæ (Philoſophorum more loquendo) formæ dicuntur. Tertiò ſumitur pro accidente, & ſic ſcientia in homine, & albor in pariete formæ, dicuntur, ſed accidentales. Quartò ſumitur pro altera parte compoſiti phyſici, & ſic dicitur forma partis: veluti anima eſt altera pars hominis, & forma ipſius. Hæc autem forma, eſt per ſe terminus formalis generationis, & forma eſſentialis compoſiti phyſici. Quintò. Tota aliqua natura abſtractiuè ſumpta, dicitur forma totius: non per materiæ informationem: ſed qua ſuppoſitum eſt quidditatiuè tale, veluti humanitas dicitur forma hominis, abſtracta ab eodem. Hæc autem forma eſt terminus, per ſe primus & adæquatus generationis: Nam licèt natura in generatione maximè intendat formam inducere in ſubiectam materiam, forma illa tamen non introducitur niſi ratione totius, quod eſt à natura ipſa præcipuè in- S.art.j.

tentum. Et hæc forma eſſentialis eſt etiam ſicuti forma partis. Sexto ſumitur pro conceptu obiectiuo, qui per ſe, & diſtinctè concipi poteſt. Formalitas autem dicitur à forma hoc modo ſumpta, propter analogiam quam habet cum forma partis, & forma totius, quia ſicut illæ duę formæ ſunt ratio cognoſcendæ rei cuius ſunt, ſic forma vel formalitas iſto modo dicta.

Differunt autem forma partis, & accidentalis, quod illa dat eſſe ſimpliciter, vnum per ſe cum materia componendo. Hæc eſſe ſecundum quid ſubiecto confert, & cum eo vnum per accidens conſtituit, & totum in modo. Item ablata forma partis, neceſſe eſt totum corrumpi: ſed ablata accidentali, non corrumpitur ſubiectum. Homo enim eſſe non poterit cùm anima fuerit ſeparata, qui remanebit perdito albore, alio colore affectus, & poſt ſcientiæ deperditionem, remanebit ignarus. Vt igitur explicemus formalitatis deſcriptionem, notandum eſt formalitatem vno modo ſumi uocabulo extenſo, & ſic deſcribi ſolet. Formalitas eſt aliquid repertum in re, ex natura rei: quod non oportet ſemper intellectum mouere, modo ipſum poſſit terminare. Dicitur repertum in re, propter figmenta, cuiuſmodi ſunt Chimæra, Cerberus, & cymba Charontis. Dicitur ex natura rei propter entia rationis. Dicitur quod nõ ſemper oportet formalitatem mouere intellectum, modo ipſum terminet propter relationes reales, quæ formalitates dicuntur: licet intellectum mouere non poſſint, cùm idem ſit intellectum mouere atque ſui partialiter cauſare intellectionem per ſpeciem intelligibilem, quam relationes (quod ſint ſterilis naturę), producere non poſſunt, ne-

que

que aliquam formam abſolutam. Et iſto modo, omne quod eſt per ſe conceptibile, vt omnia genera & ſpecies, abſtractiuè conſiderata, immò differentiæ formales genericæ & ſpecificæ, necnon materiales, quas ecceitates vocant: cuiuſmodi eſt ſorteitas, qua ſortes conſtituitur in eſſe indiuiduali, dicuntur formalitates.

Non tamen formalitatis nomen ſortiuntur modi intrinſeci, quia quantumcunque vocabulo laxato ſumatur formalitas, poteſt terminare actum intelligendi, & ſic per ſe concipi: modus autem ſiue gradus intrinſecus alicuius rei, ſine ea concipi non poteſt. non enim poteſt intellectus ferri & terminari ad intentionem albedinis, quin terminetur ad ipſam albedinem. Hinc dicitur modus intrinſecus, qui non habet conceptum præciſum à formalitate cuius eſt modus. T. 6b. art. 2.

Formalitas ergo hoc modo ſumpta, competit omnibus entibus conceptibilibus per ſe, & non eis quæ ſunt cum alio conceptibilia: vt ſunt prædicti modi qui coincidunt in eundem conceptum formalem rei, cuius ſunt modi: ita quod ſicut non habent realitatem & quidditatem, præter realitatem & quidditatem rei quam inſequuntur, ſic etiam non habent aliam formalitatem. Ex his infero, formalitatem hoc modo ſumptam, communem eſſe realitati & quidditati. Quidditas autem & realitas ſæpe rationis ſortiuntur denominationem: Pro quo notandum eſt, bifariam ſumi rationem, vno modo pro ratione formali, alio modo pro ratione obiectiua. Ratio formalis, quædam eſt actus primus, alia eſt actus ſecūdus. Exēplū primi, vt intellectus qui ratiocinatur circa vniuerſalia, & ſenſus cōmunis qui circa ſingularia ſuo modo ratio-

cinatur. exemplum ſecundi eſt ipſe diſcurſus, & operatio intellectus, ſeu alterius potentiæ ratiocinatiuæ. Sed ratio obiectiua eſt ipſum obiectum, quod obiicitur potentiæ ratiocinatiuæ, & attingitur per actum ipſius potentiæ. Quia ergo formalitas eſt obiectum intellectus, quod attingitur per actũ ipſius, appellatur ratio obiectiua, ſicut oẽ quod eſt per ſe conceptibile. Quoniam additur in deſcriptione formalitatis, ex natura rei, aduertendum eſt, duobus modis aliquid intelligibile dici: vno modo ex ſe & ſui ipſius ratione, vt omnia entia realia quæ ab actu intellectus non dependent, nec in eſſe nec in conſeruari: alio modo aliqua cõceptibilia ſunt effectiuè ab actu intelligendi intellectus, à quo dependent in eſſe & cõſeruari, cuiuſmodi ſunt entia rationis. Hic aũt deſcribitur formalitas reſpectu eorũ quæ ex ſui natura intelligibilia ſunt, & non reſpectu eorum quę ab intellectus operatione habent (quod intelligantur, ſicuti ſunt ſecundę intentiones, quę tandiu habent eſſe quandiu in primis intelliguntur) & ceſſante intellectus operatione earum ſecundarum intentionum & entium rationis eſſe ceſſat.

Additur in deſcriptione formalitatis, quod non oportet formalitatẽ ſemper mouere intellectum, modo ipſum terminet. Duę enim ſunt obiecti rationes, vna mouendi, & altera terminandi actũ ipſius potentiæ. Quę rationes ex verbis Ariſtot. 3. de Anima eliciuntur, vbi docet quod obiectũ ſe hẽt ad potentiã, vt motiuũ ad mobile, vel terminatiuũ ad terminabile. Ratio mouendi cõpetit obiecto, quatenus mouet potentiam ſui: imprimendo in ea ſpeciẽ & cognitionem. Et hæc rõ, non eſt obiecto eſſentialis, cùm nõ cõpetat omnibus obiectis: ſunt

enim

enim multæ potentiæ ſimpliciter actiuæ reſpectu ſuorum obiectorū, a quibus ipſæ nullo modo patiuntur, aut aliquid recipiunt: ſicuti potentiæ nutritiua, & augmentatiua reſpectu alimenti: tum ēt quia relationes ſunt obiecta, & tamē nihil cauſant in intellectu: neque ſpeciem intelligibilem neque actum intelligendi, & hoc propter minimam ipſarum entitatem. Tum etiam quia ratio mouēdi poteſt competere alii ab obiecto potentiæ, vt ſi Deus alicui intellectui infunderet habitum geometriæ, Deus ipſe moueret intellectum recipiētem talem habitum, & tamen Deus non eſſet obiectum geometricum, cognitum & intellectum per talem habitum infuſum, ex quo ſequitur, quod ratio mouendi eſt accidentalis obiecto.

Ratio terminandi competit obiecto, quatenus eſt illud circa quod verſatur operatio potentiæ, & quatenus potentia tendit in ipſum obiectum: & habet ad ipſum reſpectum tendentiæ, & attingentię, vt in terminū. Hæc vero ratio terminandi, eſt obiecto eſſentialis: quia nihil eſt obiectum potentiæ, circa quod non verſetur operatio ipſius potentiæ, & in quod potentia non tendat vt in terminum. Concludo ergo formalitatem non ſemper intellectum mouere: ſed ſemper terminare. Secundò, ſtricto vocabulo ſumitur formalitas, pro eo quod de aliquo quidditatiuè p̄dicatur: vel de quo aliquid etiam quidditatiuè prædicatur: Et iſto modo formalitas conuertitur cum quidditate, & minus cōmunis eſt quàm realitas obiectiua, quæ conuertitur cum formalitate primo modo, hoc eſt extenſo vocabulo ſumpta. Ad inſtitutum præſens notandum eſt, eodem modo diſtingui realitatem, quo modo res diſtingui ſolet. Res autem quædam eſt T.ar.1

eſſentiç; quædam exiſtentiæ: ſic realitas quędam eſt eſſentiæ, quedam exiſtentię.

Realitas eſſentiæ appellatur obiectiua, quia pōt eſſe obiectū intellectus per ſe, cuiuſmodi ſunt omnes conceptus ſeorſim conceptibiles. Realitas exiſtentię dicitur ſubiectiua, quia quidditati ſubijcit, vt inferius cùm oē ſingulare ſpecie & generi ſubijciatur, vt quidditati ſuæ. Singularia etiam ratione accidentiū quę habēt vel ſuſcipere poſſunt, dicunt ēt realitates ſubiectiuæ. Porrò realitas obiectiua dr̄ duobus modis, vno modo ſumitur ꝓ omni ente poſitiuo, quod habet eſſe reale, præter opus collatiuum intellectus: et iſto modo non ſolū ea quę exiſtunt, (vt ſingularia) verum etiam omnes quidditates prædicamentorum, abſtractæ à ſingularibus ab intellectu & paſſiones entis, omneſque modi intrinſeci, dicuntur realitates obiectiuæ: quia ſunt ante actum intelligendi, vt repræſentantur per ſpecies intelligibiles, quibus mediantibus cauſant ſui intellectionem ſecundum propoſitionem Ariſt. 3. de Anima, obiectum in anima reducit intellectum, de potentia eſſentiali, ad potentiam accidentalem: vnde tex. Com. 60. vniuerſalia quodāmodo ſunt in anima: vnde in ipſa eſt intelligere cùm velit. Ex quibus concludit, quod actus intelligendi, ordine naturę, poſteriores ſunt ipſis quidditatibus, ſecundū Scoti in prima propoſitione theorema ſententiā, intelligibile natura p̄cedit intellectionē. Alio mō ſumitur realitas obiectiua, ꝓpriè & ſtrictè pro oī eo quod eſt p ſe cōceptibile, & cui rn̄det aliqua vnitas, ſecluſo quocunq; intellectus actu, & abſtractiuo, & collatiuo: cuiuſmodi ſunt decē genera ſuprema, & q̄cunq, in recta linea prędicamentali reperiunt: necnō differētiæ genericę,

ut

vt animatũ animalis, ſpecificę vt rõnale hominis, & indiuiduales, vt Platoneitas ſeu ecceitas Platonis. Similiter propriæ paſſiones p̃dicamentales, ſeu generica, aut ſpecificę, ſic talem realitatẽ obiectiuã important: quia omnibus iſtis correſpõdet aliqua vnitas ſine aliquo actu collatiuo: illaq; omnia per ſe & ſeorſim ſunt cõceptibilia. Iſto modo capiẽdo realitatem obiectiuã, formalitas (quæ dr̃ ratio per ſe cõceptibilis ab intellectu) eſt realitate obiectiuã cõmunior: quia formalitas dicitur tam de his quæ ſunt in prædicamento, quã de his quę ſunt tranſcẽdentia, ſicuti ens, vnũ, bonũ, & verũ, de quibus tamen non dr̃ realitas obiectiua, quia nulli enti competit finito & infinito, (hoc eſt Deo & creaturæ indifferẽti) quod ei non cõpetat vnitas ex natura rei in ratione ſua cõceptibili omnino extra intellectũ. Nã ratio conceptibilis entis, vt eſt indifferens ad Deũ & creaturã, ſi habeat vnitatẽ ex natura rei: illa non eſt extra intellectũ omnino, ſed ſolũ competit enti, per actũ intellectus abſtrahentis, talẽ rationẽ à ſuis inferioribus, quãquam habeat eſſe in intellectu ſine actu collatiuo ipſius, & ante omnẽ actũ intelligendi: & ſic nõ eſt extra intellectũ omnino, quia eſt in ipſo obiectiuè in ſpecie ipſum repræſentare affecta. Modi intrinſeci etiã (vt intẽtio alboris & exiſtẽtia creaturarũ) hoc modo nõ ſunt realitates obiectiuę, quod ſeorſim conceptibiles nõ ſint.

Concluditur ex dictis, quod primo modo capiẽdo realitatem, omnis formalitas eſt realitas obiectiua: ſed capiendo ſtrictè ſecundo modo realitatem obiectiuam: non omnis formalitas eſt realitas obiectiua: cùm ens, & omnia tranſcendentia (præter modos intrinſecos) habeant ex ſe quod concipi poſſint ſeorſim, & ſic ſunt formalitates: non tamen

tamen ſunt obiectiuæ realitates: hoc nouiſſimo modo ſumendo realitatem.

Quidditatis deſcriptio & multiplicitas.

CAPVT II.

REalitas interim communior eſt quidditate, cùm illud propriè ſit quidditas, quod ad aliquam quidditatem pertinet. vel de quo aliquid quidditatiuè prædicatur, & ita cum paſſiones ſpecificæ, neque pertineant ad quidditatem (quod non ſint de definitione neque de intrinſeca ratione ſubiecti, licèt ſint eidem intrinſecæ & neceſſariæ atque ab eo inſeparabiles) neque aliquid quidditatiuè includant (quod ſint primò diuerſę ab omni quidditate) ſequitur quod quidditatem nullam important, licèt realitatem obiectiuam.

rectus arti. 2. Multifariã interim dicitur quidditatiuum, primò eſſentialiter: ſicut ſpecies quæ (ex Porphyrio) dicit totam naturam indiuidui & eſſentiam, ſaltẽ communicabilem, quod nulla habeat prædicata quidditatiua indiuiduum, quæ ſuæ naturæ ſpecificæ non conueniant, licèt differentiam habeat materialem & incommunicabilem (præter prædicata ſuperiora) quæ ſibi ſoli conuenit. Secundò prædicata omnia ſiue limitata ſiue tranſcendentia, quæ prædicantur in quid, dicuntur quidditatiua prædicatiuè, nunquam tamen differentiæ, quæ prę dicantur in quale, & per modum formæ informantis metaphyſicè.

Tertiò aliquid dicitur quidditatiuum conſtitutiuè, quod intrinſecè rem aliquam cõſtituit, vt materia

teria & forma phyſicè genus & differentia, metaphyſicè. At verò quoniam quidditas ſolet dici forma, notandum eſt quod quicquid eſt ratio agendi, vel actione reali in materiam, vel actione intentionali in ſenſum aut intellectum, illud neceſſariò eſt actus & forma. De actione reali probatur per Ariſto. 3. phyſi. tex. Commen. 17. dicentem ſemper exiſtimabitur, aliqua ſpecies mouens. De intentionali probatur per eundem. 9. metaph. tex. Com. 20. Omne ſcitum & cognitum, cognoſcitur ſecūdū quod eſt in actu. Cùm igitur quidditas & natura ſit ratio agendi & principium formale totale, quo agēs agit, ſequitur quod habet rationem formæ. Quod autem ſit principium formale agendi, apparet: Nā illud eſt principium formale agendi, in quo agens aſſimilat ſibi paſſum: ſed tale in quo aſſimilat eſt ipſa natura, qua agit: licèt.n. aſſimilet ſibi paſſum in forma partis tanquam in principio partiali: aſſimilat tamen idem in ſua natura, tanquam in principio totali. Ergo ſequitur tale principium (quod eſt quidditas) rectè appellari nomine formæ. Iterum probari poteſt quidditatem eſſe formam ex parte termini generationis formalis & adæquati, qui eſt natura totius compoſiti: Nam quicquid eſt terminus formalis generationis, habet rationem formæ, igitur quidditas eſt forma. His duabus rationibus adiungo authoritatem Ariſto. qui vbicunque de forma loquitur, eam vocat, quod quid eſt eſſe rei: vt in 5. Metaphyſicę capit. de Cauſa, & in 7. capit. de Partibus diffinitionis. Nunc verò quia quidditas pertinet ad eſſentiam cuiuslibet rei, eſſentia verò abſtrahitur ab eſſe, dicendum videtur operæ prætium quamlibet rem duplex habere eſſe, nempe primarium, quod eſſentiale & quiddita-

T.ar.2.

ta-

tatiuum, atque proprium & primi modi dicendi per ſe ſæpe vocatur, de quo eſſe ſola ſunt eſſentialia, vt animal, & ratione ſunt de eſſe hominis primario. Item ſecundarium quod & accidentale dicitur in duo membra diuiſum, alterum enim neceſſarium eſt ſeu metaphyſicum, vt propria paſſio, alterum contingens ſeu logicum & phyſicum, veluti albor in homine, & omnia illa quæ poſſunt eſſe & abeſſe ſine ſubiecti ſui corruptione.

Ad hæc non erit rationi diſſonum, adnotare ex quinque vniuerſalibus, nempe genere, ſpecie, differentia, proprio, & accidente, duo prædicari in quid, videlicet genus & ſpeciem: reliqua tria, in quale, ſed modis diuerſis: differētia enim pręducatur in quale eſſentiale (quod ſit de eſſentia ſui conſtituti) propria paſſio, in quale accidentaliter quidem (quod nō ſit de eſſentia ſui ſubiecti) ſed neceſſariò, cùm ſine ea non poſſit eſſe ſubiectum, ſicuti nec ipſa exiſtere poteſt ſine ſubiecto. Accidens verò prædicatur in quale contingenter, quia illud contingit adeſſe & abeſſe, veluti albor in pariete, & ſcientia in homine.

De ſubiecto ſcientiæ formalitatum.

CAPVT III.

SVbiectum ſcientię formalitatum eſt ens tranſcendentiſſimè ſumptum, vt commune eſt ad ens reale & ens rationis ſub ratione indentitatis & diſtinctionis, cùm doceat hæc ſcientia, diſtinguere ens reale ab ente rationis. Nec obſtat vulgaris obiectio, quod ſubiectum alicuius ſcientiæ debet eſſe incomplexum, ex qua videretūr ſequi ens tranſcenden-

dentiſſimè ſumptum, & ſub ratione identitatis & diuerſitatis, non eſſe ſubiectum ſcientię alicuius. Nam tale ens trãſcendentiſſimè ſumptum,ſub ratione identitatis & diuerſitatis, licet voce ſit verè complexum, tamen ſenſu eſt incomplexum, quia ei reſpondet vnicus conceptus incomplexus in mẽte. Neque aliquem mouere debet, quod tranſcendens aſſignetur alicuius ſcientiæ ſubiectum, cùm hæc ſcientia non tantum ſit naturalis, vtpote ſolummodo metaphyſica, quòd in ea tractẽtur diuiſiones entis,cùm etiã ſit Phiſica,Logica,& Theologa, cuius theologiæ ſubiectũ Deus aſſignari ſolet, quamuis tranſcendens omnia prædicamenta in quorum ambitu nõ continetur. Dices forſitan, æquiuocum, præſertim analogum, quale eſt ens trãſcendentiſſimè ſumptũ,nullius ſciẽtię eſſe ſubiectum: quod quidẽ tecum faterer, ſi ſcientia formalitatũ eſſet ſolum de tranſcẽdentibus, aut ſolũ de limitatis, ſed quia eſt de his quę in cathegorijs includũtur,& de his quę ipſas trãſcendũt, imò de entibus rationis, quæ ſine actu collatiuo alicuius potẽtię eſſe nõ poſſunt,& de quibus ens equiuocè dicitur,nõ incõuenit eius ſubiectũ equiuocũ eſſe.

Scientiam formalitatum præcipuè eſſe metaphiſicam, & de ſubiecto metaphiſicæ.

CAPVT IIII.

QVANQVAM dictum ſit ſcientiam formalitatum de tranſcendentibus eſſe & limitatis, entibus realibus & rationis, tamen ſciendum eſt, ipſam quodam ſpeciali iure metaphyſicæ attribui, quod

diui-

diuiſiones entis, & eiuſdem diſtinctiones & identitates maximè conſideret, quæ ſunt metaphyſicæ contemplationis: ſciendum eſt, quid ſit ipſius metaphyſicæ ſubiectum, in eadem maximè conſidera
Tacete tus q6. 1.meta phy. tum. Dico ergo, quod ens reale eſt ſubiectum adæquatum totius metaphyſicæ, quæ rerum naturas abſtractas maximè contemplatur. Nec obſtat Commentatoris Auerrois authoritas, qui dicit, Deum in metaphyſica eſſe ſubiectnm, nam ipſe vult docere, Deum eſſe ens perfectiſſimum, quod in metaphyſica conſideretur, & in ea primum prioritate perfectionis. Cùm enim omnia à Deo ſint finita, ipſe verò ſit infinitus, manifeſto infert conſequutio, Deum eſſe omnium entium perfectiſſimum, ad cuius perfectionem, quanto res aliqua accedit propius, eo perfectior eſt, & quanto ab eo magis recedit, eo imperfectior quoque cenſetur.

De ſubiecto noſtri intellectus.

CAPVT V.

CVm igitur hæc ſcientia maximè in ſpeculatione ſit poſita, quæ ſpeculatio, eſt intellectus genuina operatio, notandū eſt, noſtri intellectus obiectum latiùs patere, quàm metaphyſicæ. Idemq; eſſe quod formalitatum, hoc eſt ens in ſua ampliſſima latitudine, & tranſcendentiſſimè ſumptum. Intelligibile etenim noſtri intellectus eſt adæquatum obiectum, ſicuti viſibile obiectum eſt adæquatum viſus. At verò quoniam obiici poterit, quidditatem rei materialis, dici obiectum intellectus. Notandum eſt duplex eſſe obiectum intellectus, vnum terminatiuum,

uum, cuiuſmodi eſt intelligibile, cùm nihil poſſit cognoſci ab intellectu, niſi ipſum terminet. Et ſub hoc intellectus obiecto (quod eſt intelligibile) cõprehendendo entia rationis (à fortiori realia) quę non mouent intellectum, niſi in ſuo fundamento, & fictitia, quæ in ſuis partibus mouent (cùm poſſint apprehendi partes Chimæræ, ſeorſim, & à ſe inuicem ſeparatæ, quamuis non poſſint intelligi niſi falsò ſimul vnitæ) ſicque ſub intelligibili comprehenduntur, & intellectum terminare poſſunt.

Alterum noſtri intellectus obiectum, dicitur motiuum, quod ipſum moueat intellectum ad ſui cognitionem, & illud eſt quidditas rei materialis: quæ intellectum quidem mouet, non ratione ſui & per ſe, ſed per accidens (cùm ſenſus noſtri non ſe profundent vſque ad ſubſtantiam rei) ratione accidentium ipſi inhęrentium, quæ ſenſus afficiũt externos, a quibus intellectus mediantibus ſenſibus internis accipit cognitionem rerum ad extra: imò ſuiipſius cùm ſeipſum nõ cognoſcat ſine aliorum cõſideratione, à quibus cõparatiue ſuiipſius notitiam format. Auer. 2. de Anima.

Intellectus duplex agens & patiens, & quomodo eorum debeant intelligi deſcriptiones: & quot modis vterque dicatur, necnon cui conueniant.

CAPVT VI.

INtellectus igitur (vt præcedentia clarius intelligantur) duplex eſt, agens & patiẽs. Ille eſt cuius eſt omnia fieri, vt docet Ariſto. 3. de Anima, tex. Comm. 8. Et iſti duo intellectus, ſunt duæ formalitates in anima Sic ręctus art. 2.

quæ

quæ ex natura rei diſtinguntur, licet omnino eadem res ſint realiter. Intellectus agens dicitur actiuus & productiuus. Actiuus, reſpectu paſſiui, videlicet intellectus poſſibilis: Productiuus, reſpectu ſpeciei intelligibilis, vel notitiæ productę in ipſum intellectum poſſibilem: vnde intellectus agẽs non dicitur productiuus, quod intellectum poſſibilem producat, ſed ſolum quia actum intelligendi, & ſpeciem intelligibilem, in intellectum poſſibilem producit. Nec dicitur actiuus, quod agat in ſpeciem intelligibilem, aut in actum intelligendi: ſed ſolummodo quia agit in intellectum poſſibilem. Iſtæ rationes ita ſe habent, quod ratio productiui, dicit perfectionem in eo in quo eſt: quod patet ex ſententia philoſophorum, ponentium nobiliſſima entia habere aliquam cauſalitatem productiuam reſpectu iſtorum inferiorum, ergo talis ratio producendi, imperfectionem non habet. Sed ratio actiui in intellectu, & in aliquo alio cuicunque competit, ponit imperfectionem ex parte acti, & ex parte paſſi: quod ſemper quatenus tale, dicit imperfectionem, ſimiliter actum inquantum tale dicit imperfectionem, quia ponit diſtinctionem eſſentialem: ideo in Deo non eſt intellectus agens, ſub ratione actiui ad intra: tum quia ibi non eſt paſſum, cùm etiam quia ibidem non eſt diſtinctio eſſentialis, ergo in Deo ponitur intellectus agens ſolummodo ſub ratione productiui. Intellectus verò paſſibilis, dicitur Paſſiuus, Receptiuus, & Operatiuus: dicitur Paſſiuus reſpectu intellectus agentis (cùm agens & patiẽs ſint correlatiua) quatenus eſt actiuus. Dicitur Receptiuus, reſpectu actus intelligendi, & ſpeciei quàm in ſe recipit. Non autem quod recipiat intellectum agentem, cùm ſit ſubſtantia,

Trób. art. 2.

ſtantia, quæ in ſubiecto eſſe non poteſt. Dicitur etiam Operatiuus, eo quod formaliter intelligit, componit, & diuidit, & diſcurrit: vnde formaliter operari in ipſo eſt ſuum proprium intelligere. Iſtæ tres rationes, in intellectu poſſibili ſic ſe habent, quod duę priores, ſcilicet ratio paſſiui, & receptiui, imperfectionem habent annexam: quod enim aliquid ab alio patiatur ab eo ſumendo aliquam perfectionem, illud arguit imperfectionem: ſicuti quod receptiuum aliquod recipiat ſuſceptibile, quia ſuſceptiuum & receptibile ſemper eſſentiali diſtinctione ſeparantur: quæ diſtinctio, maximam arguit imperfectionem, quapropter à Deo longe remouetur: ſed ratio operatiui imperfectionę caret, quinimò perfectionem infert: ideo in diuinis ponitur intellectus agens ſub ratione iſta operatiui. Reſtat idcirco diffinitionum intellectus agentis & poſſibilis explanatio. Intellectus agens ex Ariſtot. 3. de Anima, tex. Com. 18. (vt dictum eſt) eſt cuius eſt omnia facere, pro qua explicanda authoritate, notandum venit ex Commentatore eodem loco, duas eſſe rationes, intellectui agenti competentes: quarum vna eſt facere ea quę ſunt potentia intelligibilia, actu intelligibilia, alia eſt facere potentia intellecta actu intellecta. Illud obiectum potentia dicitur intelligibile, quod habet eſſe in phantaſmate repreſentatiuum, quod eſt improportionatum mouens reſpectu intellectus poſſibilis, cùm materiale ſit atque extenſum, & ipſe intellectus poſſibilis immaterialis ſit & inextenſus. Igitur obiectum in phantaſmate relucens, non eſt intelligibile actu: quod non poſſit potentia propinqua mouere intellectũ poſſibilem, ſed ſolum potentia remota. Obiectum repręſenta-

tum per ſpeciem intelligibilem,in proxima diſpoſitione ad intellectum mouẽdum, dicitur actu intelligibile: quia ſpecies talis eſt proportionatum mouens, reſpectu intellectus poſſibilis (cùm dicit Comentator 3. de Anima Com. 18. quod officium intellectus agentis, eſt transferre de ordine in ordinem, hoc eſt, de ordine materialium & corporalium, ad ordinẽ immaterialium & ſpiritualium.) Quoniam tale eſſe habet obiectum in repreſentatiuo, quale eſt ipſum repreſentatiuum: ſed phantaſma quod eſt ſpecies repreſentans, habet eſſe materiale atque extenſum, ergo & obiectum per ipſum repreſentatum: ſimili modo dico de ſpecie intelligibili, & de obiecto per ipſam repreſentato: ſicuti enim ſpecies intelligibilis habet eſſe immateriale: ſic obiectum per ipſam repreſentatum. Ex dictis ſequitur ibi duplicem eſſe tranſlationem, vnam realem qua intellectus agens de phãtaſmate, ſpeciem intelligibilem eruit ipſum phantaſma, depurando (ſi ita fari liceat) vt ſit ſpirituale: poſtquam ſenſus externi mediantibus ſenſibilibus ſpeciebus, ab obiecto ortis ipſum perceperũt: deinde ad ſenſus internos, modo tamen adhuc carnali tranſierunt illę ſpecies, & tunc phantaſticę dicuntur, à quibus intellectus agens ſpeciem intelligibilem eruit (ipſas ſpecies phantaſticas ad illas conuerſus, ſiue ipſa phantaſmata purificando) quam in intellectum poſſibilem producit, quę cùm actu mouet obiectũ eſt, actu intellectum: & quando actu non mouet obiectum, idem non eſt actu intellectum, ſed potentia, licet ſit actu intelligibile, vt dictum eſt ſupra. Alia tranſlatio eſt metaphorica, quà per quandam analogiam transfertur obiectum ad tale eſſe, quale habet ipſa ſpecies repreſentatiua. Aduerten

Scot. q. 15. q̃dlibetica.

tendum interim illam deſcriptionem, intellectus agentis eſt omnia, facere poſſe intelligi, vel quantum ad primam ipſius operationem, quæ eſt facere potentia intelligibilia actu intelligibilia: vel quantum ad ſecundam quæ eſt facere potentia intellecta, actu intellecta. Si primo modo, poteſt intelligi, quod de quocunque obiecto intelligibili poſſit abſtrahere ſpeciem intelligibilem formaliter repreſentantem ipſum obiectum, & ſic falſa eſt illa propoſitio: & in via philoſophorum & Theologorum, quia a relationibus & reſpectibus non poteſt abſtrahi ſpecies intelligilis formaliter repreſentans, ſed ſolum ab abſolutis. Aliter poteſt intelligi, quod de quocunque obiecto intelligibili, poſſit intellectus agens abſtrahere ſpeciem intelligibilem formaliter vel virtualiter repreſentãtem: ſic intellectus agentis eſt omnia facere, quia intellectus poſſibilis nihil poteſt intelligere niſi per aliquam ſpeciem, quę ſit formaliter vel virtualiter repreſentatiua. Et iſto modo ſpecies abſoluti, virtualiter repreſentant relationes atque reſpectus: non tamen de quocunque obiecto abſoluto (ſed tantũ de qualitatibus quę ſenſibus externis ſubijciũtur, cùm omnium externorũ ſenſuũ obiecta ſub qualitate contineantur) poteſt abſtrahi ſpecies intelligibilis formaliter ipſum repreſentans: nam ex B. Thoma parte 1. quęſt. 12. art. 2. non poteſt abſtrahi ſpecies formaliter repreſentatiua eſſentiæ diuinæ: Quod ſpecies debeat adæquari obiecto, & nulla creatura poſſit diuinę eſſentię adæquari, & ſic nulla ſpecies de Deo formalis in nobis poteſt haberi. Inſuper ex Scoti doctrina de Subſtantijs, ſiue materialibus ſiue immaterialibus, non eſt ſpecies in intellectu noſtro, neque abſtrahi poteſt formaliter

repręſentatiua: quia licèt illę ſubſtantiæ intelligantur à nobis, tales intellectiones à ſpeciebus virtualiter tantum repręſentantibus procedunt. Intellectus etenim non abſtrahit ſpecies, niſi ab his quæ in phantaſia conſeruantur, & per conſequens non abſtrahit niſi à ſenſibilibus, cùm nihil ſit in phantaſia, quod non fuerit in ſenſu: ſicuti nihil eſt in intellectu, quod non fuerit in ſenſu; cùm ſit ordo inter iſtas animæ potentias: ſed ſubſtantiæ ſiue ſint materiales, ſiue immateriales, non cadunt ſub ſenſibus, neque internis neque externis, niſi mediantibus accidentibus: nam phantaſmata ex Ariſtot. 2. de Anima, ſunt à ſenſibilibus, cùm (apud ipſum) phantaſia ſit motus factus à ſenſu ſecundum actum, ergo phantaſia non mouetur niſi à ſenſibilibus. Addo iam dictam Auerrois ſententiam 2. de Anima, ſenſus non ſe profundant vſque ad ſubſtantiam rei. Quantum ad expoſitionem deſcriptionis, intellectus poſſibilis eſt omnia fieri. Hoc poteſt intelligi, quod poſſit omnem actum de quocunque intelligibili recipere, & hoc philoſophus admitteret, qui: dicit intellectus eſt totius entis, & ſecundum totum ambitum entis: ſed hoc modo interpretatam propoſitionem illam Theologi negarent, quod rerum differentias (alijs omiſſis) vtpote Deo incomprehenſibili, & ſecretis eius altè reconditis) apprimè comprehendere non poſſit, ſaltem pro ſtatu iſto. Aliter intelligi poteſt, quod de quocunque intelligibili poſſit habere aliquem actum intelligendi, ſed non omnem: & hoc modo à Theologis conceditur, quia licèt de quocunque intelligibili poſſit recipere actum intelligendi ex naturalibus, quo ad rationes generales & communes, vel quantum

tum ad illas rationes quæ à ſenſibilibus abſtrahi poſſunt: non tamen quantum ad rationes proprias & ſpecificas, nec quo ad reſpectum qui ad Deum terminatur, ſub propria deitatis ratione.

Exponendum nunc venit quonam pacto ſecundum Scot. intellectus agens & patiens ſint duę formalitates. Hac ratione dico, intellectum agentem duobus modis conſiderari, vno modo pro intellectu, cuius eſt ſpeciem intelligibilem à ſenſibilibus abſtrahere. Alio modo pro eo cuius eſt effectiuè cauſare intellectionem ſiue actum intelligendi: ſi primo modo accipiatur, formaliter ab intellectu poſſibili diſtinguitur, & ex natura rei. Si ſecundo accipiatur modo, dicendo quod intellectus poſſibilis effectiuè concurrat ad actum intelligendi, vt Scotus tenet q. 15. quodlibetica, & Sent. lib. 1. diſt. 3. q. 7. tunc intellectus agens & poſſibilis, non ſunt duæ formalitates formaliter diſtinctę. Notandum eſt tamen intellectum agentem & patientem poſſe ſumi, vel pro reſpectu agentis ad paſſum, vel pro fundamento vtriuſque, ſi primo modo non ſolum formaliter diſtinguntur, ſed realiter. Cùm ſint duo ſingularia reſpectiua: ſi ſecundo modo pro potentia intellectiua, ſic formaliter non diſtinguntur, cùm vnicum ſit vtriſque intellectus agentis & patientis fundamentum, videlicet ipſe intellectus, vt eſt potentia animæ rationalis.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Triplicem eſſe actum intellectus.

CAPVT VII.

T. art. 2 NON videtur ab inſtituto alienum, dicere de ipſius intellectus realibus operationibus ſiue actibus, qui in genere tres aſſignantur: quorum primus dicitur rectus, quo intellectus rem conſiderat abſolutè, veluti cùm abſolutè hominem cõſidero: & hic actus tendentiam habet in ipſum obiectum, vt in terminum, ſecundus dicitur collatiuus, quo intellectus rem vnam alteri, vt hominem Bruto, vel eundem hominem animali ſuo ſuperiori, vel certè rem aliquam ſibijpſi comparat: vt cùm intellectus ſeipſum comparat, ſcientem hoc complexum homo eſt animal, ad ſeipſum idem ignorantem. Tertius dicitur reflexus, quo ipſe intellectus ſupra ſuam operationem reflectitur, & terminatur ad actum rectum intelligendi: vt cùm intelligo me intelligere, vel ad potentiam cognoſcentem, vt intelligo me intelligentem: vel ab obiectum ad extra cognitum, veluti cùm intelligo me lapidem intelligere, & hij omnes actus dicuntur reales, ſed ex rectis & collatiuis actibus ſiue obiecta ſint vniuerſalia, ſiue ſingularia, reſurgunt quędam paſſiuæ comparationes quæ dicuntur entia rationis. Nec quempiam mouere debet, quod dixerim obiecta intellectus quædam eſſe ſingularia, quædam vniuerſalia (ſub intelligibili tamen ſemper comprehenſa) cognoſcit enim ſingulariter in ſeipſo notitiam formando rei alicuius ſingularis, vt eſt notitia quam habeo de hoc homine vel Ioanne. Cognoſcit autem

Titel. lib. 11. comp, phiſicę ca. 11.

item vniuerſaliter quando in ſeipſo efformat notitiam, nõ vnius indiuidui, ſed alicuius communioris, ſicuti eſt notitia quàm habeo de homine ab indiuiduis abſtracto, & de animali ab indiuiduis & ſpeciebus: quapropter non videtur ſatis probabilis eorum opinio, qui dicũt intellectum ſolummodo vniuerſaliter cognoſcere; cognitionem vero ſingularem ſolis ſenſibus attribuendam: ſed dicendum in hoc eſſe diſcrimen inter ſenſus & intellectum, quod ſenſus, ſolummodo (cùm ſit potentia intellectu inferior) ſingulariter cognoſcit, intellectus verò ſingulariter & vniuerſaliter. Multò tamen digniori fungitur officio intellectus, quando efficit in ſeipſo operationem vniuerſalem qua ſuperat ſenſum, quàm cùm efficit eam in qua cum inferiori potentia ſenſitiua communicat: vnicuique enim rei illa actio magis conuenit ſecundum ſuam naturam quæ ei eſt peculiaris, & per quam ab alijs diſtinguitur. Quapropter magis propriè dicitur operatio intellectus, cognitio vniuerſalis qua ſenſum excedit, quam ſingularis in qua cùm ipſo communicat.

Cùm ergo obijceretur, intellectum operationem non eſſe cognitionem ſingularem; reſpondendum eſt eam operationem ſibi non eſſe ſpecialem, quia ſit etiam ſenſus: ſed non inde ſequitur, ea ipſum intellectum priuari. Dico etiam intellectum magis propriè vniuerſalia cognoſcere quã ſingularia, quia primo & per ſe ea cognoſcit, & reflexiuè conuertendo ſe ad phantaſmata ſingularia cognoſcit.

In diuinis propoſitiones eſſe abſolutorum & relatiuorum prædicatorum quæ ſint abſolutæ, & reſpectiuæ, & quod habeant acceptiones.

CAPVT V.

DICTVM eſt Deum eſſe perfectiſſimum, ſub noſtri intellectus obiecto contentum, quare dicendum eſt de Deo quaſdam eſſe propoſitiones, in quibus abſoluta de Deo ipſo omnium entium abſolutiſſimo prędicantur, alias eſſe in quibus reſpectiua de eodem dicuntur, vt per exempla, & diſcurrendo per ſingula manifeſtum erit.

At verò propoſitiones illæ in quibus de Deo dicitur abſolutum, in triplici differentia reperiuntur, nam quandoque de ipſo omnipotenti Deo prędicata eſſentialia enunciantur, quandoque attributa, quandoque verò cuiuſlibet perſonæ appropriata. Primo modo, ens ſubſtantia, ſpiritus, & vita intellectualis de ipſo Deo prædicantur in quid, veluti animal de homine, vel ſubſtantia de Angelo, cùm illa ſint prædicata eſſentialia, & quæ prædicantur per modum eſſentiæ de Deo. Et ſic (cum vita intellectualis ſit in Deo ſuperius & eſſentialis) concludo intellectum & voluntatem in Deo non eſſe attributa, ſed eſſentialia, quia ſub vita intellectuali comprehenduntur. Secundò modo perfectiones ſecundariæ quæ à creaturis accipiuntur & Deo tribuuntur, via re-

Trób. art. 2.

remotionis & eminentiæ, quæ de eodem prædicantur in quale & denominatiuè, dicuntur attributa, vt ſunt bonitas, veritas, ſapientia, iuſtitia, de quibus Beatus Auguſtinus 15. de Trinitate capitu. quinto & octauo. Si dixeris bonum, ſapientem, humilem, & ſpiritum horum nouiſſimum quod poſui, ſubſtantiam ſignificare videtur, cætera verò ſubſtantiæ qualitates: & vt breuiter dicam, omnia illa prædicata quæ ſe habent vt paſſiones, eſſentiæ diuinæ à Theologis attributa dicuntur. Vt autem intelligatur quod dictum eſt Deo attributum, tribui à creaturis acceptum, illud non ita eſt intelligendum, quod perfectiones illæ attributales, ſint prius in creaturis quam in Deo, à quo omnis creatura habet quodcunque habet: ſed ita intelligendum eſt, quod arguimus Dei perfectiones ex ijs quæ videmus in creaturis, perfecti aliquid habere & commendabilis: ſi enim videatur mihi homo quandam habere perfectionem quod intelligat, vel ſcientiam aliquam habeat, qua decoretur animus eius: arguo illam in Deo eſſe, & cum remotione omnis imperfectionis (vt intelligatur quid velit dici per illa verba via & remotionis eminentiæ) & additione omnis perfectionis: & ſicuti ſi ex viſione pulchræ & benè politæ imaginis Regis, arguerem ipſum Regem eſſe pulchriorem & multo perfectiorem, quod ſit multo venuſtior ſua imagine, & quod ſenſibilis ſit, cuiuſmodi non eſt imago, ita de Deo non inconuenit imaginari, attributa talia eidem tribuendo omnibus imperfectionibus procul abiectis, & perfectionibus earum loco ſuppoſitis. Exempli gratia,

ria, Sapientia in homine, hanc imperfectionem habet quod ſit accidens, & quod ab eo realiter & eſſentialiter diſtinguatur : iſta autem imperfectionem important, tam in hominis natura, quam in ſapiētia, nam quod aliquid ſit accidens, illud arguit imperfectionem, quia dicit depēdentiam ad ſubiectum cui inheret: & quod aliquid ab alio diſtingua tur, etiam hoc arguit imperfectionem, quia quod diuiditur perficitur aliquo modo, & habet aliquā actualitatem à membris diuidentibus (ſicuti genus accipit aliquam actualitatem à ſuis differentijs diuiſiuis, quemadmodum animal à differentijs quę ſunt rationale & irrationale) quæ actualitas nūquam caret imperfectione. Intellectus ergo con ſiderans accidentalitatem & diſtinctionem eſſentialem in ſapientia, remouet ab ipſa quod ſit accidens, & quod ſit eſſentia diſtincta à Deo intelligen do (vt eſt intelligendum) eādem eſſe cum ipſo Deo eſſentiam eminentiſſimam & infinitam : & ſi de eo non prædicetur in primo modo dicendi per ſe, vt poſtea dicemus. Notandum interea omnia iſta attributa (licet prędicatio vnius ſit vera de altero per realem identitatem) habere propriam infinitatem, ab eſſentię diuinę infinitate formaliter diſtinctam (cùm vna ſine alia concipi poſſit) verum eſt tamen, quod omnia talia attributa radicaliter ſunt infinita, ab eſſentia diuina, licet non formaliter. Sicut enim eſſentia diuina eſt radix & fundamētum omnium diuinarum perfectionum, cum ab ipſa emaneant, ex Scoto q. 5. quodlibetica, ita infinitas fundamentalis & radicalis eſt tantum vna : infinitates autem formales, multiplicantur ad plurificationem attributorum. Et ſicut attributa tranſeunt in realem identitatem eſſentiæ diuinę, & manent

ſecun-

ſecundum ſuas quidditates & formalitates, ita quod non tranſeunt in ipſam diuinam eſſentiam ſecundum identitatem formalem, ita omnes infinitates attributorum tranſeunt in perfectam identitatem realem infinitatis eſſentiæ diuinæ, & tamen manent formaliter diſtinctæ. Nam ſunt diuerſæ rationis formalis, ſicuti quidditates quas inſequuntur: cùm ergo ipſa attributa ſint diuerſę rationis formalis ſequitur quod infinitates formales ipſorum ſunt diuerſæ rationis, quæ tamen ſunt vnica infinitas fundamentalis & radicalis. Sed ex prædictis videtur quod infinito poſſit fieri additio, nam videtur eſſentiam diuinam ab eſſentia diuina quæ eſt radicaliter infinita) ſeorſim acceptam ſine perfectionibus attributorum, non eſſe ita perfectam atque ſimnl cum ipſis attributis, reſpõdetur eſſentiæ diuinæ, nullam poſſe fieri additionem ex attributorum perfectione, quia in primo ſigno naturę, quo eſſentia eſt eſſentia, omnes continet tales attributorum perfectiones virtualiter & eminenter, eo quod iſtę perfectiones fluant tanquam à radice: & ab ipſa omnem recipiãt perfectionem cuius ſunt capaces. Contentioſus fortaſſe obijceret, ex prędictis ſequi quod in Deo poſſint eſſe infinitę infinitates, cum quodlibet attributum ſuam habeat infinitatem: cui ſatisfactum erit ſi dicatur (ſecundum Scot. in 4. d. 13. q. 1.) quod attributa illa ſunt numero finita & multitudine, ita quod non ſunt innumera extenſiuè: ſed quodlibet intẽſiuè eſt formaliter infinitum, propter gradus perfectionales ipſius innumeros & extenſiue infinitos: velut de diuina eſſentia dicimus à qua realiter non diſtinguntur.

Tertiò appropriata de certis perſonis enuntiantur,

tur, quibus perſonis ſpeciali quodam iure à Theologiæ ſacræ peritis attribuuntur: non quod omnibus perſonis non conueniant, ſed propter quædam ſpecialia priuilegia magis & frequentius vni quàm alij tribuuntur (& in hoc ab attributis differunt, quæ non ſpecialius vni perſonæ quàm alij conueniunt) eo modo quò Patri omnipotentia tribuitur, Filio ſapientia, & bonitas Spiritui ſancto: & hæc prædicata in quale prædicantur de perſonis, quibus ſunt appropriata, veluti attributa de eſſentia diuina.

De reſpectiuis verò dicturi, notabimus in diuinis duas eſſe differentias relationum, quædam enim dicuntur communes, quæ tribus perſonis diuinis ex æquo conueniunt: vt ſunt æqualitas, ſimilitudo, & identitas, quæ vni perſonæ magis quàm alijs non conueniunt, ſed ęqualiter de tribus prędicantur, cùm Pater, Filius, & Spiritus ſanctus ſint idem in ſubſtantia & eſſentia, ęquales in magnitudine, & ſimiles in prędicatis qualitatiuis.

Aliæ dicuntur notionales, à noſco noſcis, quod perſonas notificent quibus conueniunt: cùm vni ſoli perſonę conueniant, vt innaſcibilitas & paternitas Patri, filiatio Filio, & ſpiratio paſſiua Spiritui ſancto: vel duabus ad ſummum, vt ſpiratio actiua Patri & Filio, qui ſimul producunt Spiritum ſanctum: à quibus ambobus ex æquo procedit, vt ſymbolum apertè manifeſtum facit.

Sed notandum eſt, quod ſpirare eſt producere per modum voluntatis: ita quod actio à Patre & Filio procedens per modum voluntatis, appellatur ſpiratio actiua: & reſpectus paſſiuus eidem in Spiritu ſancto correſpondens, vocatur dictio

ctio paſſiua. At verò in Patre, alia eſt operatio per modum intellectus procedens, quę nũcupatur dicere,& in Filio terminatur, & tũc vocatur dici: ita quod actio ſeu productio proueniẽs ex intellectu Patris, dictio actiua nuncupatur,& reſpectus paſſiuus in Filio eidem correſpondens, dictio paſſiua appellatur. Cùm ergo Pater & Filius, per modum voluntatis producant Spiritum ſanctum,eundem ſpirant,& ipſe ſpiratur: & cum per modum intellectus Pater producat Filium, dicit Filium, & ipſe Filius dicitur à Patre à quo procedit.

De modis dicendi per ſe, & de modis dicendi per accidens.

CAPVT IX.

HÆ prædictę enuntiationes, ſiue quidditatiuę, ſiue qualitatiuę, facilius cognoſcentur, ſi notauerimus modos dicendi per ſe: qui propriè propter propoſitiones cognoſcendas, à Philoſophis, & pręcipuè ab Ariſtotele ſunt excogitati.

Quatuor igitur ſunt modi dicendi per ſe (etſi tertius magis ſit eſſendi quàm dicendi, vt videbitur poſtea fuſius.) Primus eſt quando ſuperius de inferiori pręedicatur,vt ens de Deo & creatura.Genus de ſpecie, vel ſpecies de indiuiduo, vel quando diffinitio prædicatur de diffinito: ſiue ipſa conſtet genere & differentia, ſiue pręedicato ſuperiori & modo intrinſeco (de quo pauca accipies) vt homo eſt animal rationale, Deus eſt ens infinitũ: vel pars diffinitionis de diffinito (quod dicitur propter differentiam & modum intrinſecũ, cùm

iam

iam dictum ſit de prædicatis ſuperioribus) vt homo eſt rationalis, Deus eſt infinitus, creatura eſt finita. Sumendo rationale pro ipſa potentia ratiocinatiua, quæ eſt hominis anima, & non pro aptitudine ratiocinandi & ſyllogiſandi, quia talis aptitudo eſt propria paſſio, ſicut riſibile, & non differentia: & talis aptitudo non in primo modo prædicatur de ſuo ſubiecto, ſed in ſecũdo. Quando idem de ſeipſo dicitur, vt homo eſt homo, petra eſt lapis, etiam prædicatio eſt in primo modo, & quidditatiua, vt quidditatiuum diſtinguitur contra denominatiuum: ſed non proprie vt quidditatiuum, dicit ſuperius prædicatum, cùm nihil ſit ſuperius ad ſeipſum.

Secundus modus dicendi per ſe, eſt quando propria paſſio de ſuo adæquato ſubiecto prædicatur: vt homo eſt riſibilis, vel de aliquo contẽto ſub eo, vt Petrus eſt riſibilis: vel quando attributum de Deo prędicatur, vt Deus eſt iuſtus, Deus eſt pius.

Tertius modus (vt dictum eſt) non eſt dicendi ſed eſſendi. Iſto modo omnia quę in nullo exiſtunt, neque per inhęrentiam neque per informationem ſunt per ſe, vt omnes ſubſtantiæ primæ. Dicuntur etiam eſſe in hoc modo eſſendi quæ incommunicabiliter exiſtunt, vt tres diuinæ perſonæ, quæ omnino incommunicabiliter exiſtunt. Et hęc duo membra redeunt in idem, ſi bene conſiderentur.

Quartus modus dicendi per ſe, eſt quando effectus formalis prędicatẽ de aliquo, mediante ſua cauſa formali, vt homo albedine eſt albus, homo eſt ſapiens ſapientia, vel quando actus profluens à cauſa formali, dicitur de effectu formali, mediante ipſa cauſa formali; vt album albedine diſgregat viſum, ſcalidum calore calefacit, vel quando effectus formalis

formalis prædicatur de ſua immediata cauſa formali: quod fit ſi ſubiectum ratioñe includat, propter quã prædicatum ſibi conueniat, vt voluntas vult, intellectus intelligit, florens floret, loquens loquitur, currens currit. Hic quartus modus differt à ſecundo, quod prædicatum in ſecundo eſt ſemper neceſſarium, ſed in quarto eſt contingens, cùm poſſit eſſe calidum quod non calefaciet, ſi non ſit obiectum calefaciendum aproximatum.

Modi autẽ dicendi per accidens, quatuor ſunt, veluti quatuor ſunt modi dicendi per ſe. Primus eſt, quando accidens prædicatur de ſubiecto, vt homo eſt albus, ſortes eſt iuſtus. Secundus eſt, quando ſubiectum prædicatur de accidente, vt iuſtus eſt homo, pater eſt homo.

Tertius eſt, quando accidens de accidente enunciatur: vt pius eſt princeps, album eſt dulce de lacte loquendo.

Quartus eſt, quando inferius de ſuo ſuperiori enunciatur: vt animal eſt homo, vel paſſio inferioris de ſuperiori: vt animal eſt reſibile, licet enim tales propoſitiones indefinitæ, vt aliquod animal eſt homo: vel particulares, vt hæc pirus eſt arbor, ſint quandoque neceſſariæ, non tamen ſunt per ſe. Nam ex Ariſtot. in libris priorum & poſteriorum, propoſitiones per ſe non conuertuntur: quod non eſt intelligendum, quod abſolutè non conuertantur, cùm conuerſio ſit adæquata paſſio propoſitionis ſaltem cathegoricæ: ſed intelligendum eſt quod non conuertitur in alias propoſitiones per ſe. Cùm ergo iſta propoſitio ſit per ſe, homo eſt animal: iſta non eſt per ſe, animal eſt homo, & ſic de alijs per analogiam cõuenit iudicare.

Idem dicendum eſt de iſta, animal eſt riſibile, quod

quod non ſit per ſe, quia non infert propoſitionem de omni (quod eſt commune omni propoſitioni per ſe) cùm iſta propoſitio falſa ſit, omne animal eſt riſibile, ex his patet quod datur ſtatus in propoſitionibus per ſe, veluti in dependentia eſſentiali, quantum ad eſſe rei (aliàs partes eſſentiales dependerent à toto, & Deus à creatura, ſicut totum à partibus, & creatura à Deo ipſo) nam ſicut non eſt circulus in tali dependentia eſſentiali, ſic nec in dependentia prędicatorum à ſubiecto, quantum ad inhęrentiam formalem prędicati ad ſubiectum: cùm propoſitio aliqua per ſe dicatur, quod prędicatum includatur in ſubiecto, in quo eſt ratio formalis prędicati ad ipſum: cùm tamen non ſit in prędicato eadem ratio inherētię ad ſubiectum. Si enim homo eſt ratio formalis propter quam animal ſibi formaliter ineſt, animal ex oppoſito non poteſt in ſe habere rationem formalem, propter quam homo ſibi ineſſet, alioqui daretur circulus in dependentijs prędicatorum, & ſic oporteret inferius dici de ſuperiori, ſicut ſuperius de inferiori. Hoc autem eſt contra Ariſtot. qui vult quod detur ſtatus in principijs ad demonſtrationem concurrentibus: ita vt deueniendum ſit ad aliquod primum & immediatum, quo non ſit alterum prius & immediatius, cùm in iſtis prędicatis ſit ordo eſſentialis, qui neceſſariò pręſupponit aliquod vnum primum & immediatum.

De

De ente per accidens nihil dicitur, nec de conceptu per accidens: neque de ratione in ſe falſa, aut impoſſibili.

CAPVT X.

ALiquis fortaſſe hęſitare poſſet, in quo modo dicendi per ſe ſunt iſtæ propoſitiones: Homo albus, eſt homo albus, homo albus, eſt homo : & homo, eſt homo albus, & ſimiles. Cui ſine hæſitatione reſpondendũ eſt, illas propoſitiones eſſe per accidens, & nullo modo per ſe, cùm ſint de materia contingenti. Quocirca notandæ ſunt tres regulæ, quæ à doctore Subtili 1. Sent. diſt. 11. & in 3. diſt. 7. & 22. ponuntur, quarum ſequitur prima. De ratione in ſe falſa nihil verè & affirmatiuè prædicatur: nec ipſa de aliquo, imò nec ipſa de ſeipſa: hinc ſolet dici, quod ratio in ſe falſa eſt de omni falſa. Iſtæ enim propoſitiones ſunt omnes falſę. Homo irrationalis eſt animal, Petrus eſt homo irrationalis, & homo irrationalis eſt homo irrationalis. Sciendum eſt autem ex Ariſt. 5. metaph. cap. de falſo, quod ratio in ſe falſa, illa eſt cuius partes ad ſe inuicem formaliter repugnant, vt homo irrationalis. Si enim hij duo termini per copulam verbalem venientur, futura eſt oratio non ſolum falſa, ſed etiam impoſſibilis. Simon Fontanus ſuo tempore minorum decus in appendice vocabulorum, differentiam facit inter rationem in ſe falſam & rationẽ in ſe impoſſibilem, & re vera differunt: quod ratio in ſe falſa, ſit multo latior ratione in ſe impoſſibili: nam omnis ratio in ſe impoſſibilis, eſt ratio in ſe falſa, ſed

non è conuerſo: exempli gratia, Hæc extrema, Deus malus, ſi copulentur per verbum ſubſtantiuum, nō modo faciēt orationem falſam, ſed etiā impoſſibilem, & ſic includunt rationem in ſe impoſſibilem. Hæc verò extrema. Deus homo, in triduo mortis Chriſti, rationem in ſe falſam includebant, quia tunc Deus non erat homo. Cùm homo dicat tertiam entitatem, ex corporis & animę vnione reſultantem: Corpus verò erat in ſepulchro, & anima in inferis, vt fide credimus, licèt diuinitas non reliquerit animam in inferno aut corpus in ſepulchro per ſeparationem ab illis: vt vera ſit D. Damaſceni ſententia, quod Deus aſſumpſit nunquam dimiſit. Non tamen rationem in ſe impoſſibilem includebant duo termini illi, Deus homo, cùm facilè ſabatho potuiſſet reſurgere ſicut die Dominica victor reſurrexit, & tunc vera fuit propoſitio quæ ante fuerat falſa. Qui volet eundem conſulere Fontanum eodem loco, leget quomodo habitudo terminorum duorum ſit neceſſaria, vt ſi coniungantur per copulam verbalem, fiet propoſitio neceſſaria (vt homo animal, homo rationalis, homo riſibilis) dicitur ratio in ſe neceſſaria, leget item habitudinem, quæ eſt inter duos terminos talis, vt ſi per verbum copulentur (vt homo pius, lapis quadratus) dici rationem in ſe contingentem. Nunc verò probandum eſt rationem in ſe falſam eſſe de omni falſam: ſic argui poteſt, Quod eſt ex ſe & intrinſecè repugnans, cuicunque alteri repugnat: (quod enim ex ſe eſt tale, reſpectu cuiuſcūque ſemper eſt tale: quia habitudo & comparatio rei vnius ad aliam, non tollit illud quod rei ex ſe & intrinſecè competit, cum nullus reſpectus ſiue realis ſiue rationis adueniens alicui fun-

fundamento, tollat rationem & naturam fundaméti) ſed ratio in ſe falſa (vt dictum eſt) habet in ſe rationem repugnantiæ formalem & incompoſſibilitatis: ergo reſpectu cuiuſcunque ſic erit incompoſſibilis. Conformatur hęc argumentatio, nam formaliter repugnantia, ſunt illa quę ſuis rationibus formalibus repugnant: ergo ſic manentibus, ſemper erit repugnantia non ſolum inter ſe, verumetiam cuicunque alteri. Si enim (ait Sireſctus) iſta propoſitio eſſet vera, homo irrationalis eſt homo irrationalis (de qua magis videtur quòd identica exiſtimari poſſit) tunc ex vero ſequeretur falſum: Nam bene ſequitur, Homo irrationalis eſt homo irrationalis, ergo homo irrationalis eſt homo ſimpliciter, à parte in modo ad ſuum totũ diſputando: Et per couerſionem ſequeretur iſtud, homo eſt homo irrationalis & vltra, ergo homo eſt irrationalis, & irrationale eſt homo: ſed iſta omnia falſa ſunt & impoſſibilia, ergo falſa eſt propoſitio, ex qua omnia illa illata fuerunt, nempe iſta, Homo irrationalis eſt homo irrationalis. S.ar.2.

Quia dictum eſt fieri argumentum à parte in modo ad ſuum totum, ſciendum eſt, quod totum in modo, eſt terminus communis per ſe ſumptus ſine determinatione, vt homo. Et pars eius totius in modo, eſt idem terminus communis ſumptus, cum determinatione alienante, vt homo pictus, vel diſtrahente, vt ficté ſanctus, nequiter iuſtus, vel ampliante, vt iuſtus futurus, & iuſtus qui fuit: vel diminuente, vt albus dentes, vel reſtringéte, vt homo albus, à qua ſola valet arguměratio, vt homo albus eſt animal, ergo homo eſt animal: nã iſtæ falſæ ſunt affirmatiuè, homo pictus eſt animal, vel homo, ficté ſanctus, iuſtus futurus eſt iu- Tit. li. 5. qui eſt de locis.

ſtus,albus dentes eſt albus, niſi ſecundum quid & per quandam analogiam.

Fiunt autem argumentationes affirmatiuè à toto in modo, ad ſuam partem hoc modo, Si quæratur, nam rudes homines capaces ſunt diſciplinæ?ſic argumentari licebit à toto affirmatiuè.Omnes homines ſunt capaces diſciplinæ,ſed rudes homines etiã homines ſunt, ergo & ipſi capaces ſunt diſciplinę.Negatiuè argumentamur ſic,Deum malos homines nõ odire, nullos homines odit Deus, ergo nec malos. Maximæ ſunt cum quo conuenit totum in modo, cum eo & pars, cum quocunque autem non conuenit totum nec pars.A parte verò ad totum, argumenta fiunt affirmatiuè hoc paradigmate: Sit quæſtio, Num anima moueatur? ſic terminabitur,anima iraſcendo mouetur,ergo mouetur. Negatiuè ſic, Sit quæſtio: Non ne omnes homines ſaluabuntur?ſic terminabitur. Impij homines non ſaluabuntur,ergo aliqui homines non ſaluabuntur. Et ſic de ſimilibus argumentationibus, à toto in modo ad ſuas partes, vel à partibus ad totum conueniet iudicare. Secunda regula, de ente per accidens, nihil per ſe dicitur, nec ipſum de aliquo, immò nec ipſum de ſeipſo:nulla enim iſtarum eſt per ſe,homo albus eſt homo,homo,eſt homo albus,homo albus, eſt homo albus. Tertia regula, de conceptu per accidens ſiue cõtingenti, nihil neceſſariò prædicatur (ſed tantum contingenter)nec ipſum de aliquo, immò nec idẽ de ſeipſo. Exempli cauſa, Cùm homo niger dicat conceptum contingenter vnum, nulla iſtarum propoſitionum eſt neceſſaria: homo niger eſt homo, homo eſt homo niger, homo niger eſt homo niger, iſtæ nouiſſimę duæ regulę hac ratione ſimul proban-

bantur, nam ſi iſta propoſitio eſſet neceſſaria, vel per ſe, homo niger eſt homo niger, ex neceſſario ſequeretur contingens (quod fieri nequit) nam benè ſequitur, homo niger eſt homo niger ergo homo niger eſt homo, à parte in modo ad ſuum totum, & vltra conuertendo, ergo homo eſt homo niger, ergo homo eſt niger, à parte in modo, etiam ad ſuum totum. Omnes autem iſtæ propoſitiones illatæ ſunt per accidens & contingentes, ergo & iſtę, homo niger eſt homo niger, ex qua illatæ fuerunt. Intelligo autem per ſe, primum vel ſecundum modum dicendi per ſe.

Obijcitur in iſtis prædicationibus, homo albus eſt homo albus, & homo niger eſt homo niger: eſt prædicatio eiuſdem de ſeipſo & identica, ergo tales prędicationes ſunt per ſe, primo modo & neceſſarię: reſpondetur, quod prędicatio eiuſdem de ſeipſo eſt per ſe, & neceſſaria, in qua non prędicatur ens per accidens, nec ſubijcitur: & ſic hęc obiectio contra duas prędictas regulas nihil facit, cùm in talibus propoſitis propoſitionibus ſemper prędicetur vel ſubijciatur ens per accidens. Manent ergo illę duę regulę verę, quę efficaciſſimè conuincunt prędictas propoſitiones non eſſe alicuius modi dicendi per ſe, ſed tantum per accidens, quod (vt dictum eſt) ſint de materia contingenti.

De diuiſionibus propoſitionum in ſua membra, & diuiſione eorumdem membrorum in partes ſuas minus communes.

CAPVT XI.

MODI prædicti dicendi per ſe, & per accidens, ad enunciationes, ſeu propoſitiones (quę ſunt ſemper orationes verum vel falſum ſignificantes) referũtur: quapropter dicẽdum eſt de formis ſeu ſpeciebus prędicationum.

Prędicatio igitur in genere (vt ad præſens ſpectat inſtitutum) duplex eſt, exercita & ſignata, exercita formalis & identica, formalis eſſentialis & denominatiua Eſſentialis triplex eſt, quiditatiua, qualitatiua, & ſubſtantialis. Denominatiua, neceſſaria & contingens. Has diuiſiones, vt faciliori modo memoriæ mandes, quàm tibi ſubijcio, conſpice figuram.

- Prædicatio
  - Exercita
    - Formalis.
      - Eſsẽtialis.
        - Quiditatiua
        - Qualitatiua
        - Subſtãtialis
      - Denominatiua.
        - Neceſſaria
        - Contingens
    - Identica.
  - Signata

Fontanus in appen. De quibus meliori quo fieri poterit ordine, Deo duce (ſine quo nihil poſſumus) dicere conabimur, totis niſibus nihil omittendo, quod exiſtimemus ad prędictorum propoſitionis membrorum explicationem pertinere.

De

De prędicatione exercita formali, & eſſentiali & denominatiua.

CAPVT XII.

EXercita eſt igitur prædicatio, in qua verbum, eſt, genuinam natiuamque verbi retinet ſignificationem, vt iuſtitia eſt virtus. Huius primùm membrum eſt prædicatio formalis, in qua prędicatum ſubiecti formã eſſentialẽ denotat, vt homo eſt animal (quę prędicatio in qua ſuperius de inferiori directè prędicatur, formalis eſſentialis vocatur) vel accidentariã, vt Ioannes eſt pius: quę prædicatio licèt ſit formalis, verè denominatiua dici debet. Hęc autem denominatiua prędicatio (vt propriè ſumitur, non vt extendi poteſt ad omnem prædicationem cuiuſcunque formę) neceſſaria dicitur, cum propria paſſio de ſuo ſubiecto dicatur, vt homo eſt riſibilis: vel attributa de eſſentia diuina, vt Deus eſt iuſtus: vel appropriata perſonarum de ijs quibus pręcipuè attribui ſolent: vt Pater eſt omnipotens, Filius eſt ſapiens, Spiritus ſanctus eſt bonus. Fontanus in ap.

Contingens autem erit, ſi id quod adeſt & abeſt, præter ſubiecti corruptionem, de ſuo ſubiecto ordinatè dicatur, vt homo eſt pius, Ioannes eſt phyſicus. Contingit enim illa duo nouiſſima prędicata ineſſe & non ineſſe eidem, remanente ſemper eadem ſpecifica natura. Non eſt ab inſtituto alienum notare bifariam dici denominationem, ſępe etenim intrinſeca nũcupatur, cum forma denominans recipitur in denominato, vt paries eſt albus, Iacobus eſt muſicus: crebrò extrinſeca eſt,

cum videlicet denominans forma in ſubiecto de quò dicitur non hęret, vt homo eſt viſus: nõ enim viſionem qua videtur in ſe recipit, ſed ipſa remanet in potentia viſiua operante. Sic homo dicitur ſpecies animalis, & animal corporis animati, cùm talia prædicata ſecundarum impoſitionum formam non includant (cùm nihil ſint niſi entia rationis penitus) quæ ipſis denominatis (quæ realia ſunt) hęrere poſſint. Genus tamen & ſpecies vniuerſalia verè dici poſſunt intrinſeca denominatione, quia ſemper ſuperius eſſentialiter includitur in inferiori & intrinſecè, denique in prædicationibus iſtis genus eſt vniuerſale, ſpecies eſt vniuerſale, & ſimilibus, in quibus ens rationis ſuperius de ſuo inferiori ordinatè prædicatur (eundem ordinem conſtituendo in iſtis ſecundis intentionibus, in quo ſint genera & ſpecies & prædicationes formales ſuo modo, ſicut in decem cathegorijs reperiuntur) denominatum verius eſſe nõ habet denominante.

Quoniam diximus prædicationem eſſentialem eſſe triplicem, quidditatiua eſt in qua prædicatum ſuperius in quid prædicatur de inferiori, vt ens de Deo & creatura, veluti Deus eſt ens, ſubſtantia eſt ens vel genus de ſpecie, vt homo eſt animal, vel ſpecies de indiuiduo, vt Petrus eſt homo. Qualitatiua in qua differẽtia vel modus intrinſecus de ſuo conſtituto dicitur in quale, vt homo eſt rationalis, ſubſtantia eſt finita. Dixi de conſtituto non de contracto per differentiam, aut de determinato per modum, nam iſtæ prædicationes ſunt denominatiuæ, & per accidens animal eſt rationale, ens eſt infinitum.

De

De prædicatione ſubſtantiali.

CAPVT XIII.

GENVS aliud eſt prædicationis eſſentialis, quæ vocari ſolet tantum eſſentialis (ſed meo iudicio conuenientius à pleriſque ſubſtantialis) in diuinis ſolummodo reperienda, quā ponit B. Hilarius in lib. de Trinit.) Quocirca philoſophis naturam ducem ſolam inſequētibus fuit incognita: qui licèt Deum vnū primam omnium cauſam, & primum motorē cognouerint: non tamen eundem trinū & vnum admiſerunt, ignorantes illam inenarrabilem Filij Dei generationem, & Spiritus ſancti vtriuſque doni productionem, ſingularumque perſonarum diuinarum propria (hoc eſt relationes notionales) licèt forſitam attributa diuinæ eſſentiæ, imò & perſonarum appropriata, quodammodo illis fuerint lumine naturali nota.

Huius generis propoſitiones ſunt, in quibus cō ſubſtantialitas denotatur perſonarum diuinarū, & origo vnius ab alia, vt Filius eſt de eſſentia Patris: Nam cùm dicitur de eſſentia vel ſubſtantia, eadem vtriuſque perſonæ notatur, eſſentia & cùm dicitur Patris notatur origo Filij à Patre, à quo omnia accepit per æternam generationem. Non ſunt ideo ſubſtantiales hæ propoſitiones, Filius eſt de eſſentia, vel Filius eſt eſſentiæ, niſi perſona originis addatur dicendo, Filius eſt de ſubſtantia Patris, neque ita lubens hanc proferrem orationem, Filius eſt de ſubſtantia diuina, atque iſtam Filius eſt de ſubſtantia Patris propter cauſam prædictam. Nec obſtat

D. Aug.

D. Aug. 15. de Trinit. ca. 18. ſentẽtia dicentis, Filium eſſe Filium eſſentię Patris, quia debet intelligi propoſitio illa in conſtructione intranſitiua, vt ſit ſenſus: Filius eſt eſſentię, id eſt, Filius eſt eſſentia: non autem in conſtructione tranſitiua, quæ eſſet falſa, quia tunc eſſentia videretur eſſe correlatiuum Filij, quamuis eſſentia ex B. Aug. 7. de Trinit. cap. 3. ad nihil referatur. Hoc ratio docet, nam quod refertur ad aliud, realiter diſtinguitur ab eo ad quod refertur (cum relatio realiter requirat realia extrema realiter diſtincta, ad quorum alterius poſitionem, neceſſariò reſurgat habitudo ad reliquum, ex Scot. 1. Sent. diſt. 31. q. 1.) ſed eſſentia diuina non diſtinguitur realiter à Filio, neque ab aliqua perſona diuina, ergo non poteſt eſſe correlatiuum alicuius perſonę. Memineris interim in his prædicationibus ſubſtantialibus dici, Filium eſſe de eſſentia Patris, & non ex eſſentia Patris: nam ex B. Auguſt. lib. de natura boni, cap. 27. Non hoc penitus ſignificant ex ipſo, quod de ipſo: Quod enim de ipſo eſt, poteſt dici eſſe ex ipſo, ſed non omne quod ex ipſo eſt, poteſt dici eſſe de ipſo, quia non eſt de ſubſtantia ſua. Ratio eſt, quod præpoſitio de, non ſolam importat habitudinem originantis ad originatum, verumetiam conſubſtantialitatem & identitatem eſſentiæ producentis & producti: ſed præpoſitio ex, tantum habitudinem importat cauſæ efficientis, & non conſubſtantialitatem. Ex ipſo enim Deo ſunt cœlum & terra, quia ipſe fecit ea: non autem de ipſo, quia non ſunt de ſubſtantia ſua. Filius verò eſt ex Deo, & de Deo, quia de ſubſtantia Patris eſt. Exemplum proponam magiſtri Sent. libr. 1. diſtinctio. *36*. Homo cùm generat filium & facit domum, ex ipſo eſt filius & de ipſo: ſed domus

domus ex ipſo eſt, non de ipſo, ſed de lapidibus, ligno, & terra.

De prædicatione identica, & generaliter per tranſennem de abſtractione.

CAPVT XIIII.

IDENTICA prędicatio bifariam ſumitur, ſępe pro ea in qua idem de ſeipſo prędicatur, vt homo eſt homo. Nõnunquam verò, pro ea cuius extrema ſunt formaliter infinita, vt eſſentia diuina eſt bonitas, vel alterũ tantum eſt formaliter infinitum, vt eſſentia diuina eſt paternitas, vel alterum extremum eſt permiſſiuè infinitũ, vt paternitas eſt entitas, humanitas eſt entitas, & ſic de ſimilibus. Et quælibet iſtarum propoſitionum vera eſt per realem identitatem extremorum, cùm prędicatum ſit idem realiter ſubiecto. Ratio talis identificationis eſt tertium aliquid, in quo illa ſic identificata cõueniunt. Quemadmodum animal & rationale, ſunt idem realiter, quia in homine conueniunt, in quo ambo ſunt inſeparabilia: quę ſi abſtrahantur ab homine, non remanent eadem, quia ab eis tollitur ratio identificationis realis, ſcilicet ipſum tertium. Ea de cauſa negatur hæc animalitas eſt rationalitas in abſtracto, quia iſta duo non amplius concernunt, neque connotant tertium cuius ſunt metaphiſicæ partes. Cùm autem dictum ſit oportere alterum extremum eſſe infinitum, vel formaliter vel permiſſiuè, patet hanc prædicationem non eſſe niſi in tranſcendentibus, quibus poteſt competere infinitas formalis, vt in diuinis, vel permiſſiua, vt en-

ti

ti & ſuis paſſionibus:infinitas autem ex ſe & ex natura ſui,habet quod ſibi identificet quodcunque compoſſibile. i. quod ſibi poteſt formaliter ineſſe, quia ex Scoto.quæſt. 5. quodlib. non poſſunt eſſe duo infinita realiter diuerſa. Vnde cùm infinitum dicatur eſſe ens ſimpliciſſimum, quicquid competit ſibi in eius perfectam identitatem tranſit realem.Hinc concludo,quod quandocunque duo extrema infinita, vel actu, vel permiſſiuè abſtrahantur, à tertio(modo abſtractio fiat in primis intentionibus) ſemper extrema abſtracta includunt ſeu concernunt ipſam infinitatem, ex qua remanet ratio identificationis realis, alterius extremi ad ipſum. Licet enim ens & bonum ſint idem realiter in homine, ſi ab ipſo abſtrahantur per nomina primarum intentionum, quæ ſunt entitas & bonitas, & formetur hæc propoſitio, entitas eſt bonitas, erit vera per identitatem extremorum quæ adhuc ſunt infinita: ſed ſi abſtraheretur per nomina ſecundarum intentionum (in qua abſtractione ſignificatur rationem & quiditatem eſſe abſtractam ab omnibus ſuis poſterioribus, & per conſequens à modis intrinſecis finitate & infinitate) propoſitio affirmatiua falſa eſſet. Exempli gratia, falſa eſt hæc propoſitio: Ratio formalis entis eſt ratio bonitatis, quod terminus hic ratio formalis ſit ſecundæ intentionis, quemadmodum eſt diffinitio: falſa eſt autem dicta propoſitio quòd non remaneat in extremis ratio identificationis vnius ad alterum. Hæc ergo abſtractio quæ fit per nomina ſecundarum intentionum, eſt vltima quæ fieri poſſit, & poſterior ea quàm vulgò vltimam appellitant. In hanc autem deuenimus de abſtractione determinationem, quod in huiuſmodi propo-

propoſitionibus identicis debeant concreta de concretis, vel abſtracta de abſtractis prædicari: & non concretum de abſtracto, vel abſtractum de concreto, maximè ſi talia concreta ſint adiectiua. Iſta enim prædicatio conceditur eſſentia diuina, eſt generatio: tamen non admittuntur iſtæ, eſſentia diuina generat aut generatur. Generans etenim à genito, ſemper realiter diſtinguitur, & à nullo diſtinguitur realiter diuina eſſentia ſibi compoſſibili, nec à perſonis nec attributis neque appropriatis. Ratio interim propter quam generari aut generare de eſſentia diuina non dicantur, eſt quod (ex Scoto 1. diſtinct. 5. q. 1.) De ſubiecto vltima abſtractione abſtracto, nihil dicitur formaliter, niſi in primo modo dicendi per ſe: quia ſubiectum & prædicatum modos ſignificandi oppoſitos dicunt, & ſibi inuicem incompoſſibiles: vnde de talibus ſubiectis vltima abſtractione abſtractis, nihil poteſt prædicari niſi in primo modo dicendi per ſe, vel identicę.

De abſtractione. & eius ſpeciebus.

CAPVT XV.

OMISSIS multis quæ hic de concretis dici poſſent, quoniam legi poſſunt apud doctorem illum eximium Fontanum Terminorum ſectione 7. ad abſtractionem & eius ſpecies nunc vela conuertam: Eſt autem abſtractio duplex, phyſica, qua res vna ab alia ſecernitur naturaliter coniuncta, veluti ſi dens ab alicuius ægroti euellatur ore, vel ab aliqua arbore aſcia ramus.

Et

Et logica, qua ſuperius vniuerſaliter, ſine inferiorum connotatione conſideratur: veluti ſi hominis naturam abſolutè concipiam nulla habita indiuiduorum conſideratione. Hæc autem bifariam dicitur, quædam eſt enim poſtrema, ſi non ſuperſit abſtrahendi locus, vt humanitas. Alia eſt non poſtrema, ſi ſuperſit quod abſtrahas conſideratione, vt albor: fit autem abſtractio à ſingularibus à ſubiectis & à fundamento, quanto enim plura concernit concretum, tanto plures fiunt abſtractiones: ſed in prædicamento ſubſtantiæ ſola indiuidua concernuntur, & ſic ab ijs ſolis fit abſtractio, eo modo quo humanitas ab homine abſtrahitur etiã abſtractione poſtrema, quia non remanet quod abſtrahatur: & ſic humanitas eadem eſt tantummodo ipſamet, eo modo quo dicit Anicenna 5. metaphi. quod equinitas eſt tantum equinitas in accidentibus abſolutis, quantitate, qualitate duo concernuntur: ſubiecta alterius naturæ, à quibus inhęrent, & propria indiuidua de quibus in quid dicuntur. Et licèt illa à ſubiectis abſtrahantur, non minus inferiora concernunt, donec alia fuerit abſtractio à ſingularibus facta. Album ſic concernit lignum & lapidem, tanquam ſubiecta à quibus ſe abſtrahatur albedo vel albor, remanebit tamen albedinitas (vt ita loquar) vel alboris quidditas in ſuis inferioribus, quę ſunt albor hic albor, & iſte. In accidentibus reſpectiuis, concernuntur tria ſubiecta, fundamenta, & indiuidua, hinc in illis tres fiunt abſtractiones, vna relationis à ſubiecto, ſecunda relationis à fundamento, tertia, quidditatis à ſingularibus: Exempli gratia, hoc concretum cauſa dicitur de igne, quia generat & cauſat calorem in ligno, ſed abſtractione facta à ſubiecto, concernitur

nitur adhuc fundamentum: vt pote ſi dicatur potentia cauſandi calorem. Calor enim eſt potentia cauſandi calorem, non autem ignis: à quo fundamento, facta abſtractione, nihilominus cõcernuntur propria indiuidua, à quibus poſtrema abſtractione abſtrahi poterit quidditas cauſalitatis, quæ de nullo prædicatur niſi de ſeipſa, & de qua nihil dicitur niſi in primo modo dicendi per ſe, vt quidditas eſt entitas. Notandum eſt igitur ſubſtantiua in diuinis poſſe quandoque formaliter prædicari: vt deitas eſt deitas, ſæpe item identicè, vt deitas eſt ſapientia. Adiectiua autem, & verba cum ſuis participijs ſemper formaliter prædicari, quod connotent inhęrentiam ad ſubiectum, & quandam formam important per modum informantis: Sit ergo concluſio, Quando prędicatum non poteſt identicè prędicari, ſed tantum formaliter, ſi ſubiectum ſit vltimatè abſtractum, propoſitio illa formalis nõ erit vera, niſi ſit per ſe primi modi, vel niſi id conueniret illi, quatenus natura eſt, vt eſt communicabile, quod de abſtracto etiam poſtremè dicitur, vt humanitas eſt communicabilis & intelligibilis, licèt hanc negemus, humanitas eſt riſibilis, vel niſi prædicatum formaliter tantummodo ens rationis importaret: vera eſt enim iſta propoſitio, Humanitas eſt animalis ſpecies, vel niſi prędicatum negationem importaret, ſaltem latentem, vt humanitas ab aſinitate (vt ita loquar explicandæ rei gratia) diſtincta eſt. Notandum eſt tamen per ſyllogiſmum expoſitorium prædictæ regulæ oppoſitũ, videri poſſe conſequi. Eſt autem ſyllogiſmus expoſitorius ex ſingularibus & medio ſingulari: aliàs non concluderet, cùm ex puris particularibus nihil ſyllogiſticè conficiatur, ſi illę particulares fuerint de medio

non

non ſingulari, cùm non valeat hic ſyllogiſmus in ſecunda figura. Plato eſt philoſophus, & Socrates eſt philoſophus, ergo Socrates eſt Plato, quia philoſophus eſt medium, nec tamen eſt terminus ſingularis, licèt rectè concludat., iſte Ioannes eſt animal, & Ioannes eſt hic homo, in tertia figura igitur hic homo eſt animal. Item iſte in ſecunda figura aliqua ſubſtantia eſt Petrus, & aliquod animal eſt Petrus, igitur aliquod animal eſt ſubſtantia, quia in his duobus nouiſſimis medium eſt ſingulare. Sic videtur poſſe argui, Hic Pater generat, hæc eſſentia diuina eſt hic Pater, ergo hæc eſſentia generat. Reſpondetur quod ſicut ex neceſſaria & contingente propoſitionibus, non ſequitur concluſio niſi contingens (quia concluſio ſequitur debiliorem partem) vel ſaltem quæ per contingentem exponi debet: ita ex vna præmiſſa formali & altera identica, non ſequitur concluſio niſi identica, vel quæ per identicam debeat exponi: itaque hęc concluſio (ergo hæc eſſentia generat) non cōceditur niſi ad hūc ſenſum: Hæc eſſentia generat, ideſt, hæc eſſentia eſt id quod generat, quæ propoſitio eſt tantum identica. Vel dicendum eſt ſyllogiſmum expoſitorium debere regulari per art. datam in primo priorum cap. 1. vt reducantur pręmiſſæ ad propoſitionem de omni ſi ſunt affirmatiuè, vel ad propoſitione dici de nullo ſi ſint negatiuæ, & ſic altera ſaltem apparebit falſa: vt cùm ſic arguitur, Quicquid eſt, Pater
Tr 6b. art. 1. generat, eſſentia eſt hic Pater, igitur eſſentia generat. Maior eſt falſa, quia licèt ſit vera identicè, hæc propoſitio eſſentia eſt hic Pater, non tamen conceditur iſta eſſentia generat, quia eſt tantum formalis. Dici de omni eſt, quando nihil eſt ſumere ſubiecti, de quo non dicatur prædicatum. Dici de nullo

lo eſt, quando nihil eſt ſumere ſubiecti, de quo non remoueatur prædicatum. Pro prædictarum abſtractionum faciliori captu hác tuis oculis obijcio figuram.

- Abſtractio
  - Phiſica in rebus tantum.
  - Logica in terminis.
    - Subſtantiuis vnica à ſingularibus.
    - Adiectiuis
      - Abſolutis
        - A ſubiecto
        - A ſingularibus fundamento
      - Reſpectiuis
        - A ſubiecto
        - A ſingularibus.

De prædicatione ſignata, & de ſecundis intentionibus vnde ortæ ſint.

CAPVT XVI.

Signata prædicatio eſt, quæ fit per hæc verba, ſignifico, fundor, prædicor, dicor, affirmor, & ſimilia ſecundarum intentionum verba, vel per verbum eſt loco horum poſitum: & non in propria ſignificatione acceptum, vt terminus homo ſignificat hominem, homo eſt ſpecies, quæ huic æquiualet ſecunda intentio quæ eſt ſpecies, fundatur in homine. Huiuſmodi autem prædicationes fundamentales quoque nuncupari ſolent: quia ſecunda intētio in eis de ſuo fundamento prædicatur, vt Ioannes eſt terminus ſingularis, vel (apud Brul.) ipſum fundamētum de ſecunda intentione: vt nomen eſt vox, cuius ſenſus eſt, Nomen eſt ſecunda intentio fundata in voce. Huius generis enim ſunt omnes propoſitiones, in quibus prædicantur termi- Fonr. in ap.

ni ſecundarum intentionum, cuiuſmodi ſunt om nes pene termini, qui in ſcientijs ſermocinalibus Gram. Rhet. & Dialect. diffiniũtur, vt Amo eſt verbum Ioannes eſt proprium nomen. Status eſt quæſtio precipuè in oratione conſiderata, animal eſt genus. Si quæratur vnde orta fuerint hæc nomina, prima intentio & ſecunda, ſeu prima impoſitio, & ſecunda Boetij ſuper hac re, eſt ſententia, primo omnibus & ſingulis rebus ex imponentium arbitrio fuiſſe impoſita nomina, vt ſubſtantiæ quæ eſt homo, ſuum nomen eſt aſſignatum. Accidentibus quoque ſua ſunt impoſita nomina, vt accidens illud ſecundum quod homo diceretur quantus quantitas vocaretur: vt qualitas illa quæ hominem reddit viſibilem diceretur color, vt operationes quæ ſubſtantijs conueniunt, diſtinctis nominibus appellarẽtur, vt agere, pati, currere, quieſcere, ſecare, calefacere, frigefacere, &c. Item vt habitudines quæ ſunt inter generantem & genitum nominibus Patris & Filij exprimerentur. Hæc autem vocabula dicuntur primæ impoſitionis, vel intentionis: quoniam hæc prima fuit intentio impoſitorum, vt rebus ipſis & ſubſtantialibus & accidẽtalibus ſingulis ſingula inderent vocabula, quæ (quod fuerint nomina prima rebus impoſita) dicuntur primę impoſitionis. Illa autẽ prima impoſitione facta. Animaduerſum eſt inter vocabula illa primę impoſitionis ex parte ſignificationis: acceptę per illã primam impoſitionem quędã ſimul cõuenire, alia differre cũ quędam ſupponãtur, alijs, quæ in ſe recipiũt: alia verò ſubſtãtiæ apponi, omnia nomina magis eſſe propria ad ſubijciendũ quã ad prędicãdum, verba verò & participia ẽ conuerſo. Quædam alijs comuniora, cùm etiã ſint vnius

ſolius rei propria. Hæc ergo fuit ſecunda impoſitorum intentio, vt ipſis quoq; vocabulis iam ante pro arbitrio effectis noua inderent vocabula, quæ iam non rerum foris exiſtentium, ſed ipſorum tãtum vocabulorum ex parte acceptæ ſignificationis eſſent nomina: vnde ex hac ſecunda impoſitione ſiue intentione, conſulto impoſitores, illa vocabula quæ ſupra ſe non haberent genus, cathegorias decreuerunt appellanda, quæ de pluribus ſpeciebus dicerentur aut indiuiduis, ſub ſpeciebus contentis genera appellarunt: quæ autem de ſolis indiuiduis ſpecies, ipſa autem ſingularia, quæ de ſe ſolis prædicantur, indiuidua vocarunt. Ecce habes ſecundam intentionem, quæ priorem ſubſequuta eſt, & quaſi ex ea enata. Non enim vocabula illa ſecundæ impoſitionis ſignificant res ipſas foris exiſtentes nec ſubſtantias, nec eorũ realia accidentia, ſed tantum habitudines quaſdã & comparationes paſſiuas, ſiue relationes intellectus humani: quas proinde relationes rationis appellitare ſolent, quæ non ipſis ſunt rebus, ſed tantum in intellectu humano à quo habent eſſe, & per cuius operam conſeruantur in eo. Patet ex prædictis prædicationes tales in quibus prædicantur termini ſecundæ impoſitionis, de terminis primæ impoſitionis eſſe extrinſecas: quia quod ſignificatur per prædicatum, non eſt in eo quod per ſubiectum ſignificatur. Terminus enim primæ impoſitionis, qui ſubijcitur in ordine, ad prædicatum ſecundæ impoſitionis, non illic accipitur pro ipſa re ad quã ſignificandam ex primaria impoſitione eſt inſtitutus, ſed pro ipſomet vocabulo, quatenus eſt talis rei ſignificatiuum.

Modi prioris in genere & in ſpeciali, de prioritatibus temporis, honoris & cauſæ.

CAPVT XVII.

PRædicationum dictarum, quædam alijs ſunt præſtantiores atque priores: eſſentialis enim eſt prior accidentali, & rurſus accidentalis in qua proprium de ſubiecto prædicatur, prior eſt ea in qua prædicatur album vel doctum, quia illa eſt neceſſaria & hæc contingens. Videtur ergo rationi conſentaneum, hic aſſignare numerum modorum prioris & eorum differentias. Ariſtoteles in poſt prædicamentis, quinque prioris aſſignata modos, qui his duobus verſibus compræhenduntur.

Tempore, natura, prius ordine dic. & honore,
Cauſam cauſato dicimus eſſe prius,

Alios quatuor reperio modos prioris, nam quędam alijs priora ſunt origine, alia perfectione, alia generatione, alia duratione, de quibus (modo Deus optimus aſpiret cœptis) meliori quo poterimus ordine, breuiter dicemus Tempore Adam prior fuit Abele, Noe Abrahamo, Dauid Salomone. Ordine ea in diſciplinis quæ præſupponuntur alijs poſterius tradendis ſunt priora, vt in grammatica elementa priora ſunt ſyllabis. ſyllabæ dictionibus, dictiones orationibus, in Rethorica ordine exordium narrationem præcedit: narratio perrorationem: ſic in domo conſtruenda, prius ſunt iacienda fundamenta, deinde parietes erigendi, tum demum coperiendi. Secundum honorem & dignitatem Prælati eccleſiaſtici, alijs ſunt Prio-

res, vt ſummus Pontifex Chriſti Domini vicarius in tota eccleſia catholica, Epiſcopus in ſua dioceſi, generales miniſtri ordinum regularium in ſuis ordinibus, & Priores, & Gardiani in ſuis communitatibus. Itē Iudices ciuiles in foro, Reges in ſuo regno ſub hac prioritate comprehendiitur prioritas amicitiæ: eum enim quem maximè diligimus, primum apud nos dicimus, primaſque obtinere partes: non quod ſimpliciter ſit alijs honorabilior aut dignior, ſed quia eum maximi facimus & alijs eundem preferimus amore: ſolemus enim ea quæ maximè amamus, pulchra exiſtimare, & pulchriora habentur chariora, cauſam cauſato eſſe priorem dicimus, pro ſignificato abſoluto nominis cauſæ, & non pro reſpectiuo, quia relatiua ſunt ſimul natura, licèt enim cauſa pro reſpectiuo nulla ſit ſine effectu: oportet tamen eſſe architectorem ante domum, & pictorem ante picturam, oratorem ante orationem. Nō quod ſemper tempore cauſam oporteat effectum præcedere, cùm ſubiectū quodammodo cauſa ſit ſuę propriæ paſſionis, & eam præcedit in ratione cauſæ, licet non tempore.

De prioritate naturæ.

CAPVT XVIII.

Natura aliquid alio dicitur prius, à quo non conuertitur eſſendi conſequentia: hoc eſt, quando aliqua duo ſunt quorum eſſentia vnius infert eſſentiam alterius, & non è conuerſo, tunc illud ad quod, non fit reuerſio dicitur prius. Exempli gratia, à binario Titel. lib. 2. Dialect. 65.

ad vnitatem bona eſt eſſendi cōſequentia: nam benè ſequitur, duo ſunt, ergo vnum. Et ſi binarius fuerit vnitas eſt, ſed è contrariò non ſequitur binarium eſſe, ſi ſit vnitas, ſic animal prius eſt homine. Si enim homo eſt animal, eſt, ſed non è conuerſo. Et generaliter omne ſuperius, prius eſt natura inferiori & ſubiectum accidente. De hac loquitur Ariſt. 5. metaph. capit. de priori dicens. Priora ſunt ſecundum naturam quæcunque contingunt eſſe ſine alijs, & alia non ſine hijs, & eſt inter illa quorum vni non repugnat eſſe ſine alio, vel ſaltem concipi: quia quādoque non poſſunt ſeparari propter realem identitatem vtriuſque, ſicut non poteſt eſſe ſubiectum ſine propria paſſione, nec creatura ſine ſua depēdentia, qua à Deo dependet propter realem identitatem, licet vnum alio prius ſit natura, nec repugnet priori eſſe ſine poſteriori ſicut nec concipi. Aliquando tamen contingit, prius nō poſſe eſſe ſine poſteriori, non ex ratione ſui & cauſa intrinſeca, ſed extrinſeca, ſicut cœlum quod natura prius eſt motu, ſine quo eſſe non poteſt: non ex cauſa intrinſeca, ſed ſolum ex intelligentia mouente. Si vera ſit Ariſtot. opinio, qui 12. metaph. tex. Com. 48. dicit ſubſtantiam impaſſibilem optimum finem eſſe ſortitam, qui perfectæ ſubſtantiæ competere poteſt. De ratione autem perfectæ ſubſtantiæ eſt, vt non ſolum perficiatur in ſe, verumetiam alijs ſuam communicando perfectionem, quod efficere non poteſt niſi mouendo: ergo ad motum determinatur. Qui tamen cœlos à forma propria ſine alicuius intelligentiæ miniſterio moueri, tenere volent, dicere poſſunt motum à cœlo non ſeparari propter cauſam extrinſecam Deū: qui talem formę cœli dedit virtutem, vt ad iudi-

iudicium vſque cœlum ipſum moueret, nec ante quieſceret, propter generationes horum inferiorũ. Ergo duobus modis cõtingit, prius ſine poſteriori eſſe nõ poſſe à cauſa extrinſeca & intrinſeca.

Prioritatem naturæ non eſſe tantum præſuppoſitionem vnius ab altero.

CAPVT XIX.

ALiquid dicunt prioritatem naturæ, nunquam in hoc conſiſtere, quod vnum poſſit eſſe ſine alio ſe poſteriori ſed tantũ eſſe præſuppoſitionem vnius ab altero, veluti accidens præſupponit ſubſtantiam vt ſit. Sed minuenda eſt hæc opinio, nam Ariſt. 5. metaph. ca. de priori, prius dicit (natura ſcilicet) à poſteriori eſſe ſeparabile. Et 7. metaph. cap. 1. tex Com. 3. & 4. probat ſubſtantiam accidẽte priorem, quod contingat ipſam, ab accidentibus ſeparari, & nunquã accidentia ab ipſa: ergo prioritas naturę non eſt tãtum præſuppoſitio vnius ab altero, verumetiam poteſt eſſe prius ſine poſteriori: veluti animal eſſe poteſt homine non exiſtente, & reuera fuit animal in bruto ante ſextum diem quo fuit homo creatus. Hac ratione probatur, mutatio inſtantanea non eſt ſine ſuis terminis (cùm ſit habitudo inter terminum à quo & terminum ad quem: & habitudo, ſeu relatio non eſt ſine ſuis extremis) ergo in eodem inſtanti temporis, erit terminus à quo ipſius mutationis & terminus ad quem: non tamen in eodem inſtanti naturæ, quia repugnat; ergo in diuerſis ſignis naturæ, erit terminus à quo: & terminus ad quem; nec dicendum eſt, terminũ à quo

eſſe in toto tempore præcedente generationē, vel illam mutationem inſtantaneam: & terminum ad quem eſſe in inſtanti vltimo totius temporis præcedentis alterationis, quia alteratio illa præcedens quæ eſt mutatio ſucceſſiua, ſe habet vt accidens ad mutationem inſtantaneam: ergo poteſt eſſe mutato inſtantanea ſine ſucceſſiua. Exempli gratia, ſi Deus cauſaret ſubiectū aliquod vltimatè diſpoſitum, quod igni applicaretur, ignis in inſtāti ſuam formam ſubſtantialem in tale ſubiectum produceret, & talis generatio eſſet inſtantanea ſine quacunque ſucceſſiua mutatione. Commentator in 4. phiſic. Com. 129. hoc confirmat dicens, aliquas mutationes fieri in inſtanti, veluti eſt illuminatio totius horiſontis à ſole, & totius domus à cādela, & dicit tranſmutationem æquiuocè dici de tranſmutatione per ſe, id eſt, ſucceſſiua, ſicut eſt alteratio, & de generatione quæ eſt finis tranſmutationis, id eſt de mutatione inſtantanea, de qua etiam loquitur primo cœli com. 11. dicens, aliquam mutationem eſſe in non tempore ſine alteratione. Ex his ſequitur (cum generatio nō poſſit eſſe ſine termino à quo, & termino ad quē) quod termini illi ſunt in diuerſi ſignis naturę. Et ſic prioritas naturæ, nō eſt tantū pręſuppoſitio prioris à poſteriori.

Ordo naturæ multiplex.

CAPVT XX.

ORdo naturæ quidam eſt poſitiuus, inter illa quorum vnum actu & poſitiuè alterum præcedit (ne quid omittamus dum percurrimus) velut in homine ſenſitiuū præcedit intellectiuum. Alter eſt priuatiuus, inter

inter illa quorum vnum actu alterum non præcedit, ſed prius natum eſt eſſe ſine eo quàm cum eo, ſicut materia quæ nunquam forma ſpoliatur, licèt in ſua propria natura, prius affecta ſit eſſe ſine forma, quam cum ipſa forma.

Dico ergo, quod licèt prius natura non ſemper pręcedat poſterius ordine naturæ poſitiuè, ſemper illud præcedit ordine naturæ priuatiuè.

Ordo naturæ rurſus quidam eſt eſſentialis inter eſſentias diſtinctas & naturas, quo poſterius à priori in aliquo genere cauſæ dependet, qui (ait Scot. quæſt. 4. quodli.) ſemper ponit imperfectionem ex parte poſterioris: quia ſemper poſterius eſſentialiter à priori dependet. Dependentia autem eſt præſuppoſitio huius ab hoc in diſtinctione naturæ, quæ præſuppoſitio & dependentia, ex parte poſterioris ſemper arguit imperfectionem (licèt talis præſuppoſitio huius ab hoc in hijs quæ ſunt eiuſdem naturæ, vt in diuinis, in quibus Filius prę ſupponit Patrem & attributa eſſentiam, veluti propriæ paſſiones ſuum ſubiectum nullam dicat imperfectionem) & ſic dicitur quod duo dicit ordo naturæ proceſſum poſterioris à priori, & ſic imperfectionem dicit ex parte poſterioris: alterum eſt præſuppoſitio huius ab hoc, & ſic (vt dictum eſt) non dicit imperfectionem, niſi ubi ſunt diuerſæ naturæ prioris & poſterioris. Non interim intendimus ſuadere ordinem naturę ſemper eſſe ordinem eſſentialis dependentiæ, quod poſterius ſemper à priori dependeat eſſentialiter, cùm ordo ſit naturæ eſſentialis inter ſpecies ſub eodem genere poſitas, quarum nulla ab alia dependet, cum omnis dependentia ſit in aliquo genere cauſæ & nulla ſpecies cauſa ſit alterius ſpeciei ſub eodem genere

Ordo naturę eſſentialis dependentię.

Ordo naturę perfectionis ſpecierum.

genere contentæ: non enim homo cauſa eſt equi, nec è conuerſo, nec dicenda eſt alicuius generis perfectiſſima ſpecies (& ſi aliarum dicatur metrum) cauſa finalis aliarum, quia finis eſt gratia cuius aliquid fit: ſed agens aſinum producens eundem, non producit propter hominem: Quanquam dicat Ariſt. 2. phiſic. quod nos ſumus quodammodo finis omnium, quia dicit nos eſſe finem qui eſt attingendus per operationem, & non finem qui eſt cauſa finalis. Equus enim propter hominem non eſt productus, ſed eius operatio. Alius eſt ordo naturæ qui eſt inter naturales perfectiones, ſicut inter ſenſum & intellectum, & inter intellectum & voluntatem, qui ordo in hoc conſiſtit, quod prius præſupponitur à poſteriori, vt ſit, vel operetur: & hic in diuinis reperiri poteſt, vt inter eſſentiam diuinam & attributa. Et inter diuerſas formalitates veluti inter ſpeciem & ſuam differentiam, & inter ſubiectum & propriam paſſionem. Notandum eſt interea duo per prioritatem dici: primum eſt progreſſus de non eſſe ad eſſe in alio, & ſic imperfectionem dicit, quia ſtat cum eſſentiali diſtinctione. Secundum eſt præſuppoſitio vnius ab alio, & ſic nullam dicit imperfectionem: quia poteſt ſtare cum identitate naturæ, & iſto modo (non primo) eſt in Deo prioritas naturæ.

Ordo naturę Formalitatũ.

De.

De prioritate originis.

CAPVT XXI.

PRæſuppoſitio vnius ab altero, competit etiam diuinis (vt dictum eſt) cùm Filius Patrem prӕſupponat ad ſuum eſſe,& Spiritus ſanctus Patrem & Filium, licèt Pater ſine Filio nunquam extiterit, neque Spiritus ſanctus ſine Patre & Filio, quinimò inter illas perſonas (ſi propriè loquamur) eſt tantùm prioritas originis, qua vnum ab alio originem ducit: & ſic ſemper eſt inter realiter diſtincta (licèt non eſſentialiter) quia ex B. Aug. 1. de Trinit. cap. 1. & Ariſt. 2. de Anima: textu com. 47. nulla eſt res quӕ ſeipſam gignat, vt ſit, quia idem præhaberet naturam & non præhaberet. Signa originis tria ſunt, primum, eſt eſſe à ſe,& à quo alius, vt Pater diuinus, qui eſt à ſe, & ab ipſo eſt Filius: nec ſufficit ad primum ſignum originis eſſe à ſe ſimpliciter, quia ſi per imaginationem eſſet tantum vna perſona in diuinis, vt philoſophi tenuerunt, quæ nihil produceret, neque ad ntra neque ad extra, iſta non eſſet in aliquo priori originis, & tamen eſſet à ſe, ergo primum ſignum originis eſt eſſe à ſe & à quo alius. Secundum ſignum originis eſt eſſe ab alio, & à quo alius: & ſic Filius diuinus, qui per æternam generationem habet eſſe à Patre, & à quo, ſicut à Patre procedit Spiritus ſanctus, eſt in ſecundo ſigno originis. Debet autem intelligi in eſſentia eadem, quia aliàs homo dicitur in ſecundo ſigno originis quod à Deo ſit & à Patre proprio, & ab eo ſit Filius à ſe generatus. Tertium ſignum ori-

Sirectus ar. 2. Tñ. eodem loco.

originis eſt eſſe ab alio, & à quo nullus (in eadem eſſentia ſemper intelligendo) & ſic Spiritus ſanctus eſt à Patre & Filio per proceſſionem æternam, & à quo nullus producitur. Aduertendum eſt tamen prius & poſterius origine à doctore Subtili, frequenter accipi pro priori & poſteriori natura, vt in 1. Sent. d. 1. q. 2. vbi hanc habet propoſitionem. Pater prius origine quam generet Filium, eſt perfectè beatus; quod non eſt intelligendum, quod prius origine ſit beatus, & poſterius origine generet; quia tunc eſſet ſenſus, quod eſſet beatus à ſe & ab alio generaret: quod eſt falſum, ſed eſt intelligendum quod prius natura intelligit intellectione beatifica eſſentiam diuinam, (quæ eſt obiecturam perfectè beatificans) quam generet, Filium, quia abſoluta in diuinis ordine naturæ, præcedunt notionalia quod ſint reſpectiua, vt oſtendit Scot. q. 1. quodli. Notandum eſt ergo pro huius materiæ concluſione, duobus modis aliqua priora & poſteriora origine dici poſſe, vno modo, quando tantum vnum alterum præſupponit vt ſit, licèt prius non ſit in aliquo inſtanti naturę, in quo non ſit poſterius, & ſic ſolummodo in diuinis reperitur, vt diximus inter Patrem & Filium, & rurſus inter ambos & Spiritum ſanctum.

Alio modo, quando vnum non ſolum præſupponitur ab altero, verumetiam illud præcedit, origine & natura & quandoque tempore. Et hæc dicuntur vt vera ſint Sirecti verba, qui dicit prioritatem iſtam naturæ eſſe in creaturis & in diuinis.

De

De prioritate perfectionis.

CAPVT XXII.

SEQVITVR prioritas perfectionis de quа Ariſt. 10. metaph. tex. com. 7. dicit, cùm in vno quoque genere vnum eſſe aſſerit metrum (id eſt menſuram) omniũ aliorum ſub illo genere contentorum, ad cuius acceſſum omnia alia menſurantur. Menſura tamen perfectionis duplex eſt, vna in genere (quam intrinſecam vocant) quę eſt ſpecies perfectiſſima illius generis veluti ſubſtantia immaterialis perfectiſſima eſt ſubſtantiæ ſpecies & homo animalis. Alia eſt extra genus (quam extrinſecam vocãt menſuram) & ipſa eſt Deus glorioſus: de quo dicit Auerroes com. prædicto, quod eſt menſura generis extrinſeca tantum.

Contra hoc argui poteſt, diſtantia infinita nulla eſt maior ex Ariſt. 1. cœli tex. com. 3. Sed omnes creaturæ à Deo diſtantia infinita diſtant, quia finitæ ſunt: ergo non eſt maior diſtantia inter Deum & aliquas creaturas, quam inter eundem & aliàs.

Reſpondetur omnes perfectiones diuinas eſſe ex ſui natura formaliter infinitas (& ſic omnes creaturæ à Deo diſtantia infinita diſtant) tamen ſi per intellectum ſecludatur infinitas, & illæ perfectiones conſiderẽtur in ſua ratione formali & quiditate, vna alia perfectior reperietur, ſicut fortè (ait Tromb.) actualitas in Deo eſt perfectior ſimplicitate aut neceſſitate, & ratio voluntatis eſt perfectior ratione intellectus. Aliter reſponderi poteſt, Deum & quamlibet eius perfectionem Tr6b. art. 2.

for-

formaliter eſſe infinitam: tamen vt eam creatura imitatur, infinita non eſt. Quælibet enim creatura, Dei perfectionem imitatur ſecundum gradum perfectionis ſibi competentem: ex hoc ſequitur quod quælibet creatura habet ſuam propriam ideam in mente diuina, quæ eſt menſura rei creandę & ei proportionata, & propter hoc dicit B. Aug. lib. 83. quæſtionum q. 46. Alia ratione conditus eſt homo, & alia ratione conditus eſt equus. Hoc eſt ſecundum aliam rationem perfectionis imitabilis in Deo conditus eſt homo, & ſecundum aliam & in alio gradu conditus eſt equus. Illa ergo creatura à Deo magis diſtat, quæ in minori gradu aliquā in Deo imitatur perfectionem. Et illa Deo magis appropinquat quæ in maiori gradu perfectionis imitatur diuinam perfectionem. Cùm ergo dicitur quęlibet creatura à Deo diſtat infinita diſtantia, verum eſt accipiendo perfectionem diuinam ſecundum ſe & vt infinitam: ſed non vt à creatura imitabilis eſt, quia licet in ſe ſit infinita, non tamen creatura eam imitatur in gradu infinito, ſed finito. Et accipiendo illam perfectionem diuinam, ſecundum illum gradum repertum in creatura, illa eſt tantum finita. Conſiderando enim (vt dictum eſt) illas perfectiones diuinas ſecundum ſuas rationes (ſecluſa infinitate) finitæ ſunt tātum, & ſic creatura à Deo diſtat finita diſtantia tantum: & tunc illa creatura eſt perfectior, quæ maiorem perfectionem in Deo imitatur: ea quæ imitatur minorem. Illæ autē diuinæ perfectiones, licèt vt infinitæ conſiderantur ſint æquales, non tamen acceptæ in ſuis rationibus & ſecundum ſuas quiditates. Vt autem ſatisfaciamus prędictis notandum eſt. Ideam eſſe formam (ex Scot. lib. 1. d. 35. q. vnica) ſeu exemplar

ſecun-

ſecundũ quod aliquid ad extra eſt formabile priuſquam formetur. Duplex eſt idea formalis & obiectiua: Formalis idea eſt cognitio formalis qua diuinus intellectus, obiectum efformandum cognoſcit. Hæc realiter eſt ipſe Deus.

Obiectiua, eſt res à Deo ſic cognita, videlicet vt formabilis ad extra (& vt clarius loquar) ideę obiectiuæ ſunt ipſę creaturę relucentes in intellectu diuino, & tot ſunt quod creaturę, cùm ergo dicitur idea, eſt ratio in mente diuina ſecundum quam aliquid eſt formabile ad extra de obiectiua intelligitur. Nihil diuinum (neque eſſentia neque attributum neque notiones, cùm ad extra non ſint formabiles, aliàs non eſſent ęternę) hoc modo ideam habet.

De prioritate generationis.

CAPVT XXIII.

ALIA eſt prioritas generationis, de qua Ariſt. 9. metaph. dicit, cùm priora generatione, ſecundum ſubſtantiam & perfectionem eſſe poſteriora aſſerit, è contrario poſteriora generatione priora eſſe perfectione. Quæ ſententia in natura finita & limitata eſt intelligenda, nam eſſentia diuina prima eſt in Deo entitas, fundamentum & origo omnium quæ in eo ſunt: non eſt tamen ſuis attributis imperfectior, cùm ab ea ſuam habeant perfectionem. Ratio autem cur in rebus finitis priora generatione ſunt imperfectiora eſt, quia natura limitata ex ſui imperfectione ſemper procedit de imperfecto ad perfectum, & de potentia ad actum. Igitur quodcunque Trõb. art.

que inducitur prius ab agente limitato, imperfectius eſt poſteriori (vt videre eſt in embrione) præſertim ſi illud prius fiat ratione poſterioris, vt patet de forma quæ nouiſſima acquiritur, & ſi ſit multo materia præſtantior: ſed vbi agens perfectum eſt, cuiuſmodi eſt ſolus Deus, quod primum intendit, primo producit & generat: & ita cùm illud quod eſt perfectius primò intendat, illud primò producit: nam agens prius in intentione habet finem, quam ea quæ ſunt ad finem conducentia. Finis autem eſt perfectior ijs quæ propter illum fiunt, ergo Deus primò attingit finem principaliter intentum.

Sententia prædicta debet etiam intelligi in eodem genere, nam omne accidens eſt imperfectius, quacunque ſubſtantia etiam partiali, vt materia vel forma: accidens tamen aduenit poſt eſſe cōpletum.

De prioritate durationis, & quotuplex ſit duratio.

CAPVT XXIIII.

PRIORITAS durationis, eſt, qua vnum alterum duratione præcedit, eo modo quo Angelus eſt prior homine (quia in initio mundi conditus fuit ante hominem) non propriè tempore, quia tempore non mẽſuratur, nec æternitate, cùm non ſit æternus. Durationis ergo menſura triplex eſt, vna dicitur æternitas, quæ eſt menſura durationis omnipotentis Dei æterni. Eſt autem æternitas, modus intrinſecus exiſtentiæ diuinę ſecundùm Scot. in quodlib. quęſt. 6. Quam diffiniens Boœtius 5. de Conſol. proſa 2. dicit. Aeternitas eſt interminabilis vitę, tota ſimul

Tr. 6b. art. 2.

per-

perfecta proceſſio: dicitur interminabilis, quia ęternum principio & fine caret. Dicitur tota ſimul ꝓceſſio, quia ſicut infinitas eſt modus intrinſecus eſſentiæ diuinę, vt eſſentia eſt, ita ęternitas eſt modus intrinſecus exiſtentiæ diuinæ vt exiſtentia eſt. Et quædam quantitas virtutis quaſi extenſiua qua Deus coexiſtere poteſt, cuicunque tempori & cuilibet parti eius, etiam ſi partes temporis poſſent eſſe ſimul, vel ſaltem per intellectus operationem, vbi illas ſimul conciperet intellectus.

Secũda duratio eſt reſpectu Angelorum & aliarum rerum permanentium, & vocatur æuum: Eſt enim menſura intrinſeca rerum permanentium, vt præcindunt à motu & mobilitate, ac etiam quiete: (cùm operationes Angelorum & aliarum rerum permanentium quæ ſunt in continuo motu tempore menſurentur.) Ratio autem cur æuum ponatur menſura rerum permanentium eſt, quia menſura & menſuratum debent eſſe eiuſdem rationis ſecundum Commentatorem 4. phiſico. Commen. 119. vbi habet quod menſuratum ſemper menſuratur per aliquid eiuſdem generis, aut rationis cum ſeipſo, vt linea quę per lineam menſuratur, ſuperficies per ſuperficiem, & corpus per corpus: ſic vult dicere Commentator, quod ſi menſuratum ſit permanens, menſura erit permanens: & ſi ſit ſucceſſiuum, menſura erit ſucceſſiua, & ſi æternũ, æterna. Hac ratione probatur, æuum eſſe menſuram omnium permanentium. Quęcunq; ſunt eiuſdem rationis, vt ſic habent mẽſuram, eiuſdem rationis ex Com. ſed omnia entia permanentia, vt permanentia ſunt, habent totum ſuum eſſe ſimul, & non partem poſt partem: ergo omnium eorum eſt vna mẽſura, quę eſt eorum ſi-

E mul-

multate permanentiæ. Alia eſt menſura entium ſucceſſiuorum,quæ in continuo fluxu ſunt & motu:quod partes ſuas nunquam habeant ſimul.Hęc autem eſt tempus de quo Ariſtot. 4.phiſic.cap.10. tex. Com. 88. loquitur cùm dicit, Quoddam eius iam fuit & non eſt & quoddam eius eſt futurum & non eſt: hinc patet illud ſuas partes ſimul non habere,& ſic conueniens eſt ipſum eſſe ſucceſſiuorum menſuram.

Secundum has durationes triplex imaginari poteſt prioritas: quarum prima dabilis non eſt, cùm nihil ſit prius æternitate: quia ſicut nihil eſt prius Deo, & eſſentia diuina, ita nihil eſt prius æternitate, quæ eſt modus intrinſecus exiſtentiæ diuinæ. Secunda prioritas quæ eſt æui ſeu æuiternitatis, eſt inter entia permanentia, vt permanentia ſunt: ſicut enim vnum ens permanens in eſſe præcedit aliud,ita ſecundum ſuum æuum, quod menſurat ſuam propriam permanentiam, præcedit æuum alterius. Tertia prioritas quæ eſt temporis eſt ſuperius ſatis declarata,tamque eſt aperta vt explicatione non egeat fuſiori. Notandum eſt inſuper Ariſt.putaſſe mundum eſſe æternum,& Theologos tenere eundem potuiſſe ab æterno à Deo creari, & cùm infertur ergo mundus fuiſſet æternus,diſtingui ſolet æternitate extrinſeca: verum eſt quidem, quia quod æternus fuiſſet, illud habuiſſet à Creatore, ſed æternitate intrinſeca, quæ ſoli Deo conuenit,& de qua eſt diffinitio data ęternitatis non fuiſſet æternus. Ad harum autem prioritatum, tenaciorem memoriam habendam, ſequens ſubijcitur tabula.

- **Prius**
  - **Honore**
    - vt in Eccleſia vniuerſali omnes Chriſtianos Papa præcedit, Epiſcopus in ſua Dioceſi, Curio in ſua parochia ſuos ſubditos.
    - In regno Rex ſubiectos, & Iudex in ſua ditione.
    - Amicus, inimicos.
  - **Tempore**, quo modo Adam præceſſit Abelem.
  - **Ordine**
    - quo modo literæ in Grammatica præcedunt ſyllabas, & in Rhetorica exordium narrationem.
  - **Cauſalitate**
    - veluti pictor præcedit picturam.
    - ſubiectum propriam paſſionem.
  - **Natura**
    - poſitiuè
      - Inter dependens & id à quo dependet.
      - Inter ſpecies eiuſdem generis.
      - Inter diuerſas formalitates.
    - priuatiuè, eo modo quo materia eſt prius nata, eſſe ſine forma quam cum ea.
  - **Origine**
    - In primo ſigno quo Pater diuinus pręcedit Filium.
    - In ſecundo quo Pater & Filius pręcedũt Spiritum ſanctum.
  - **Perfectione**
    - qua Deus omnis pręcedit.
    - Metrum cuiuslibet generis alias ſpecies.
  - **Generatione** eo modo quo embrio pręcedit formam ſpecificam.
  - **Duratione**
    - Aeternitatis qua Deus omnia pręcedit.
    - Aeui, quo Angelus homine eſt prior.
    - Temporis quo gradus primò acquiſitus in ſucceſſiuis alios pręcedit.

Quid ſit modus intrinſecus.

CAPVT XXV.

TOTIES modorum intrinſecorum meminimus in capite mox præcedente, & multis alijs in locis huius voluminis: vt de ijs ſpecialiter loqui ad planiorem dictorum & dicendorum explanationem, iam non ſit differendum. Sciendum eſt ergo in primis, omne accidens ſui ſubiecti dici modum, quod ſubſtātiam ad certum determinet modum, ſed extrinſecum: quia remoueri poteſt, cùm ex Porphyrio poſſit adeſſe & abeſſe ſine ſubiecti corruptione, vt ſciētia, albor, & bipedalis. At verò modus intrinſecus ex Scoto 1. Sent. diſt. 8. q. 4. eſt, qui additus alteri, non variat rationem formalem conſtituti per ipſum, nec eſt remotus ab eo, quia de ſe nullam formalem rationem dicit: propter quod intrinſecus dicitur, ad differentiam aliorum accidentium, qui poſſunt remoueri. Exempli gratia, Finitas & infinitas modi ſunt intrinſeci determinātes, ens generaliſſimum ad Deum & creaturas. Potentia verò, actus, contingentia, intenſio, remiſſio, & exiſtentia, ſunt modi intrinſeci rerum creatarum. Rationem formalem in propoſito diffinitionis, naturam appellamus, quæ non variatur propter modi intrinſeci adhibitionem. Non enim aliter diffinitur candor 4. graduum ac condor 5. graduum, nec homo exiſtens quam non exiſtens: quapropter modum intrinſecum concipere nos oportet, quoddam eſſe indiſtinctum, ab eo quod conſtituit: ſed ita eſſe id quod conſtituit, vt abſque

eo concipi non poſſit. Modus enim intrinſecus eſt inconceptibilis per ſe, quia non concipitur ſine eo cuius eſt modus. Quæ vt melius intelligantur, ſciendum eſt quoſdam modos inſequi, naturam tranſcendentem, vt eſt infinitas quæ inſequitur naturam entis, quoſdam naturam genericam generaliſſimam, vt eſt finitas: quoſdam ſpecificam & quiditatem, ſicuti eſt quantitas virtutis, quæ inſequitur naturā albedinis, vt albedo eſt. Illa enim quantitas eſt modus intrinſecus de ipſa natura albedinis, demonſtrabilis, vt ipſa albedo abſtrahit ab omni eſſe indiuiduali: quia conſiderando naturam albedinis ſecundum ſe, & ineſſe quiditatiuo, eſt prefectior nigredine: nec obſtat opus nigredinis, quod eſt cōgregare præſtantius eſſe opere albedinis quod eſt diſgregare: nam licet illud cōgregationis opus ſit excellentius diſgregatione, alia ſunt opera in albedine, omnibus nigredinis operibus præſtantiora, ſicut in ſole illuminatio totius hemiſpherij eſt opus in ſole præſtantius, quàm in homine loqui, tamen intelligere in homine, excedit omnem ſolis & aſtrorum quorumcunque operationem. Alius eſt modus qui inſequitur eſſe indiuidui & ſingularis: & ſic intenſio & remiſſio, in qualitate intenſibili & remiſſibili, ſunt gradus & modi quantum ad eſſe indiuiduale, vnde nigredo 4. graduum (in eſſe indiuiduali) eſt perfectior albedine 3. graduum, licet ipſa trium graduum albedo, immò duorum aut vnius, ſit differentia ſpecifica multo perfectior intenſiori nigredine: quia quod neceſſario & per ſe competit ſuperiori, & poteſt demonſtrari de eo per ſe, primò competit etiam cuilibet in diuiduo illius naturæ ſuperioris. Notādum eſt dictum eſſe modū in-

trinſecum non variare rationem conſtituti, non quod variet rationem per eum determinati, quia in eo videretur magis poſitiuus quam differentia, quæ non variat rationem contracti, licet variet rationem conſtituti: vt rationale non variat rationē animalis, ſed ſpeciei quam conſtituit: ſed modus intrinſecus ab ea differt, quod neque determinati neque conſtituti variat rationem.

Modus intrinſecus ab omni quiditate diuerſus.

CAPVT XXVI.

Modus intrinſecus, eſt primo diuerſus ab omni quiditate: ita quod nō eſt quiditas neque ad alicuius pertinet quiditatem, quod nō ſit de eſſentia poſitiuè alicuius quiditatis, neque de eo aliquid prędicatur quiditatiuè. Primum probatur ſic, nullum poſterius eſt de eſſentia prioris, ſed modus eſt poſterior ſua quiditate, ergo non eſt de eſſentia eius. Minor patet per hoc quod intenſio alboris eſt poſterior ipſo albore: Item, ſequitur quod quicquid per modum conſtitueretur in eſſe formali & quiditatiuo conſtitueretur. Et ita cùm in albedine 4. graduum plures ſint gradus perfectionis, plura eſſent formalia, nempe tot quot gradus: quod eſt euidenter falſum cùm (vt dictum eſt) eadem ſit diffinitio formalis alboris 4. graduum ac quinque.

Secundum probatur ſic, impoſſibile eſt aliquod poſitiuum eſſe de eſſentia alicuius negatiui, vel ſaltem non poſitiui: ſed quiditas eſt poſitiua & modus intrinſecus, non eſt poſitiuus, ergo quiditas non eſt de eſſentia eius.

Modus

Modus intrinſecus non eſt idem formaliter poſitiuè ſuæ quiditati, nec ab ea formaliter poſitiuè diſtinguitur.

CAPVT XXVII.

CVm dictum ſit modum intrinſecum non pertinere ad alicuius quiditatem, videtur exinde ſequi eundem à quiditate formaliter diſtingui, quod nũc eſt determinandum. Compertum ſit itaque aliquid alteri formaliter eſſe, idem duobus contingere modis, poſitiuè videlicet & negatiuè. Primo modo illud eſt alteri idem, quod eſt de eſſentia eius & intrinſeca ratione ſeu formaliter, ſicut animal eſt de eſsẽtia hominis. Secundo modo negatiuè, videlicet, illud eſt alteri formaliter idem, quod non habet formalitatem ab eo diſtinctam. Similiter aliqua poſſunt diſtingui formaliter duobus modis, poſitiuè & negatiuè: poſitiuè, quia alterum habet diſtinctã formalitatem ab eo à quo diſtinguitur. Negatiuè, illud ab aliquo formaliter diſtinguitur, quod non eſt de eſſentia illius.

Concludo igitur, modum intrinſecum eſſe formaliter, negatiuè idem ſuæ quiditati: quia non habet formalitatem ab ea diſtinctam, nec eſt cum ea idem formaliter poſitiuè, quia non eſt de eſſentia eius. Dico iterum, modum intrinſecum non diſtingui formaliter poſitiuè à ſua quiditate, quia non habet formalitatem ab ea diſtinctam, ſed tantum ab ea formaliter negatiuè diſtinguitur, quia non eſt de eſſentia eius.

Plura obiiciuntur ſophiſmata contra prædicta, ſed duo præcipuè egent explicatione, quę proponuntur cum reſolutionibus eorum.

CAPVT XXVIII.

Ti6b. art. 2.

OBIICI ſolent contra prædicta plura ſophiſmata, ſed duo ſunt pręcipua quę hic recenſere non eſt à propoſitio alienum. Eſt igitur ſophiſma primum idem & diuerſum ſunt immediate oppoſita circa ens, ſed eſſe idem formaliter negatiuè, & non eſſe idem formaliter negatiuè ſunt idem & diuerſum: ergo hęc eſſe implicat contradictionem. Reſpondetur idẽ & diuerſum eſſe oppoſita ſi ſumantur ſine determinatione, ſed cùm ſumuntur cum determinatione, cuiuſmodi ſunt poſitiuè vel negatiuè, non ſunt oppoſita: Exempli gratia, ſanum & ægrum ſunt immediatè oppoſita circa animal, tamen ſanum formaliter vel ægrum formaliter non ſunt immediata, ſicut album quiditatiuè & non album quiditatiuè non ſunt immediata, (quia oporteret album vel non album eſſentialiter ſubiecto conuenire) licet ſimpliciter & ſine determinatione album & non album ſint immediata, quia contradictoriorum oportet alterum eſſe verum. Secundò obijci poteſt, non idem & diſtinctum ſunt equipollolentia, ſed modus intrinſecus, eſt non idem forma liter poſitiuè ſuæ quiditati, ergo diſtinguitur formaliter poſitiuè ab ea. Reſpondeo negando maiorem, & ſic concluſio nulla eſt. Quod ſi adducatur Ariſt authoritas 2. perihemenias, A negatiua, de prædicato finito, ad affirmatiuam de prædicato infi-

infinito,valet conſequentia. Dicendum erit quod valet conſequentia in prædicatis ſimplicibus, & non complexis: non enim ſequitur homo non eſt album, lignum, ergo homo eſt, non album lignum. Sic in propoſito non ſequitur, modus intrinſecus non eſt idem ſuæ quiditati, formaliter poſitiuè, ergo eſt non idem formaliter poſitiuè. Aliud omiſi ſophiſma à Trombeta art. 2. expoſitum, & horum duorum ampliorem explicationem quæ apud illum habetur, quod viſa fuerint nobis ſuperuacanea: ideo qui de his volet amplius legere illum adeat, & (meo iudicio) ad nauſeam vſque eius explebitur appetitus.

Quod ſi contra prædicta opponatur Landulphi authoritas, qui in prologo ſententiarum q. 1. videtur aſſerere, modum intrinſecum eſſe idem formaliter poſitiuè quiditati ſuæ. Reſpondetur, illum nunquam illud ſenſiſſe, immò oppoſitum vt videre eſt apud eundem. Obijci etiam poſſet Scoti authoritas q. 1. quodlibetica dicentis, ex eo quod natura diuina eſt infinita, eſt natura diuina: ex quo videretur concludi, infinitam eandem eſſe formaliter poſitiuè cum eſſentia diuina. Cui obiectioni reſpondetur ibi, ex eo ſpecificatiuè ſumi & non reduplicatiuè, & ſic nihil contra nos facit prædicta authoritas, ſicut nec præcedens: ex his patet veram eſſe præfatam opinionem.

Qui ſint modi intrinſeci diuinæ eſſentiæ.

CAPVT XXIX.

MODI intrinſeci in diuinis, ſunt infinitas, neceſſitas, æternitas, & exiſtentia. Contra hāc poſitionē obijcit, modus intrinſecus nō variat rationē formalē eius cuius eſt, Sire-ctus art. 2.

ſed

T.6b. art. 2. ſed infinitas variat rationem formalem entis, ergo non eſt modus intrinſecus. Minorem probo ſic, finitum & infinitum diſtinguntur quiditatiuè & eſſentialiter, ſed illa diſtinctio non eſt niſi penes finitatem & infinitatem, igitur finitum & infinitum non ſunt modi intrinſeci. Reſpondetur, finitum & infinitum ſumi formaliter pro ipſorum formalitatibus abſtractis: & ſic ſunt modi intrinſeci realiter indiſtincti, qui in ratione formali entis conueniunt. Alio modo ſumitur infinitum materialiter, & fundamentaliter, pro ipſo omnipotenti Deo, cui competit eſſe à ſe, per ſe, & ex ſe, cùm habeat eſſe per eſſentiam, & non per participationem. Finitum autem pro ipſa creatura, quæ à ſe non habet eſſe ſed per participationem, & ſic finitum & infinitum (pro Deo & creatura) eſſentialiter diſtingũtur: non ratione modorum intrinſecorum, ſed propria & intrinſeca ſui ratione. Obijci poteſt, de exiſtentia Scoti authoritas lib. 1. ſent. d. q. 2. dicentis hanc propoſitionem, Deus eſt eſſe per ſe notam & immediatam, ad quam reducuntur omnes aliæ propoſitiones quæ de Deo dicuntur. Reſpondetur, propoſitionem iſtam Deus eſt eſſe, immediatam ſi comparetur, ad attributa, quæ primum modum dicendi per ſe ęgrediuntur, & formaliter poſitiuè à Deo diſtinguntur: ſi verò comparetur ad prædicationes in quibus enunciantur prædicata eſſentialia, quæ ſunt ens, ſubſtantia, ſpiritus, vita intellectualis, non eſt immediata, quia illa intimiora ſunt eſſentiæ diuinæ, quam ipſa exiſtentia. Et cùm dicitur omnes propoſitiones quæ de Deo enunciantur ad illam Deus eſt eſſe reducendas, dico illud verum eſſe, eo modo quo modo propoſitiones de Chriſto ad vnam harum reducuntur,

Deus

Deus eſt homo vel verbum caro factum eſt: nam ſicut omnia quæ de Chriſto dicuntur falſa eſſent, niſi verbum caro factum eſſet, ſic omnia quæ de Deo dicuntur falſa eſſent, niſi Deus eſſet. Si quis tamen velit exiſtentiam prędicatum eſſe in Deo quiditatiuum, & non modum intrinſecum, illis verbis Domini Dei Exodi 3. Ego ſum qui ſum innixus: & verbis Scoti prædictis, poterit dicere ad eam quæ ſolet citari Scoti ſententiam (licet ſatis inconſiderate & male obſeruato loco) qua dicitur ea quæ cõmunia ſunt Deo & creaturis, eſſe eiuſdem generis in Deo & creaturis (qua videretur inferri, ex eo quod exiſtentia communis eſt Deo & creaturis, quod ſit modus intrinſecus diuinæ eſſentiæ ſicut creaturarum) eam ita debere intelligi, quod ea quæ abſoluta ſunt in Deo, in creaturis abſoluta ſunt quoque: & quæ in Deo ſunt reſpectiua, & etiam reſpectiua ſunt in creaturis. Verbi gratia, Pater & Filius in Deo & creatis reſpectiua ſunt, eſſentia & ſuppoſitum in Deo & creatis quoque ſunt abſoluta.

Differentia quæ ſint inter modos intrinſecos, & differentias formales.

CAPVT XXX.

DOCET Sirectus, modum intrinſecum in eo à differentia diuerſum eſſe, quòd differentia variet rationem formalem & quiditatiuam (vocans rationem formalem & quiditatiuam, conceptum ſpeciei ſubalternæ vel ſpecialiſſimæ ex genere & differentia conſtitutæ) & modus intrinſecus variat ſolummodo ratio-

rationem quiditatiuam ſolum, quæ eſt illa quæ in aliquo eſſentialiter includitur, de quo in quid prædicatur. Sed hæc non probat Trombeta, neque verè ſunt probanda, quod modus intrinſecus, neque rationem ſolum quiditatiuam, neque quiditatiuam & formalem variet, vt ſatis patet ex dictis.

Dico igitur ex Porphyrio, Officia differentiæ eſſe diuidere genus, conſtituere ſpeciem, & principium eſſe diſtinctiuum à quacunque alia ſpecie. Primùm, non eo pacto conuenit modo intrinſeco quo differentiæ, nam modus tantum determinat, veluti finitum & infinitum ens latiſſimum ad Deum & creaturas. Differentiæ verò genera contrahunt, dicentes realitatem actualem, quæ præſupponit potentialem genericam, cum qua metaphiſicè componit vnum totum per ſe: quæ compoſitio ſufficit vt aliquid ſit reponibile in prædicamento, quod non præſtat modus intrinſecus, ſecundum Doct. ſubtilem, diſt. 8. lib. 1. Sent. vbi docet ens habere conceptum quiditatiuum de Deo & creatura in quid enunciatum, qui determinatur per conceptus dicentes quale: ſed ille conceptus quiditatiuus entis, non eſt conceptus generis: nec illi conceptus qualitatiui ſunt differentiarum, quia conceptus entis eſt communis ad finitum & infinitum: quæ communitas non poteſt eſſe in conceptu generis, & conceptus modorum nullam dicunt realitatem perficientem ipſum ens. Ratio autem propter quam ens non contrahitur vt genus, eſt quia ens non eſt potentiale ſicut genus, vt perficiatur per adhibitionem modi intrinſeci, ſicut genus per adhibitionem differentiæ: ſicut enim in phiſicis materia ſe habet vt potentia, & forma vt actus, ſic in metaphiſica genus ſe habet

bet

bet vt potentia, & differentia vt actus, quod non eſt ita de ente & modo intrinſeco. Nihil enim indifferens ad finitum & infinitum (cuiuſmodi eſt ens) potentiale eſt ad aliqua per quæ perficiatur. Ex his patet, modos intrinſecos non conſtituere ſpecies, quod non ſint ſatis poſitiui, neque facere differre cùm Deus & creatura ſeipſis differant, & non per modos, & ſic propriè nullum differentiæ officium illis conuenit.

Obiectio contra prædicta, & de multiplici potentia.

CAPVT XXXI.

CONTRA prædictã determinationem, hæc fieri ſolet obiectio (omiſſis alijs faciliter ex dictis ſoluendis) licèt admittatur ens non eſſe potentiale ad modos intrinſecos, neque per eos contrahatur, ſed ſolum determinetur: nihilominus conceptus entis ex natura rei prior eſt modo. Exempli gratia: A ſit modus in illo priori quo ens præcedit A, & poteſt determinari per A, videtur quod ſit in potentia ad A modum intrinſecum.

Reſpondetur, verè eſſe prioritatem ex natura rei, inter ens & modum: non tamen inde conſequitur, ens eſſe in potentia ad modum. Pro quo notandum eſt triplicem eſſe potentiam, phiſicam ſeu realem, metaphiſicam & logicam: quæ diſtinctio ſumitur in ordine ad propoſitiones quæ poſſunt eſſe vel phiſicæ, vel metaphiſicæ, vel logicæ. Potentia phiſica eſt, qua aliquid caret re aliqua realiter, cuius eſt capax. Quemadmodum ſuperficies albedine carens, cuius eſt capax, eſt ad eam in potentia.

tentia. Metaphiſica eſt, qua vnum nõ includit aliud quiditatiuè, & in ſuo conceptu tanquam eſſentiale. Potentia Logica eſt, qua vnum non includit repugnantiam, ad prædicationem alicuius de ſeipſo. De hac potentia & phiſica meminit Ariſt. 5. metaph. cap. 1. quod eſt de potentia. De potentia metaphiſica mentionem facit 9. metaph. cap. 8. comparando potentiam ad actum.

His præmiſſis reſpondetur, ens vt natura præcedit, modos eſſe in potentia ad illos, non phiſica, ſed metaphiſica (quia ens non includit modos tanquam aliquid eſſentiale) & Logica quia de eo & modo poteſt fieri enunciatio, vt ens eſt finitũ (permiſſiuè ſaltem) vel finitum eſt ens. Potentia phiſica repugnat Deo, & cuicunque quod eſt formaliter in natura neceſſaria: & ſic etiam repugnat enti, quod in Deo eſt formaliter: ſed potentiæ metaphiſica & logica non repugnant Deo, nec alicui quod in eo ſit formaliter, & per conſequens non repugnant enti, nam Deum eſſe eſt poſſibile logicum (vt poſſibile ſignificat omne id quod non implicat contradictionem, non vt ſumitur pro contingenti) licèt Deum eſſe ſit ſimpliciter neceſſarium, naturæ enim neceſſariæ repugnat potentia phiſica, quæ eſt receptiua alicuius actus, ita quòd (cùm natura neceſſaria ſit actualiſſima) non poteſt eſſe in potentia receptiua alicuius actus.

Contra hæc obijciatur, Conceptus entis prædicatur in quid, & modi prædicantur in quale: ſed prædicari in quid, eſt prædicari per modum eſſentiæ vel potentiæ: & prædicari in quale, eſt prædicari per modum actus vel inhęrentis: igitur in ente eſt aliqua potentia ad modum, & ad eius ſuſcipiendam perfectionẽ. Reſpondetur, argumentum,
eſſe

eſſe bonum,quia procedit ex diſiunctiuis: nam ens verè de Deo & creaturis prædicatur per modum eſſentię & per ſe ſtantis,non per modum potentię: & modi prædicantur per modum inhęrentis, & non per modum actus, & ſic contra determinationem noſtram nihil facit illa argumentatio. Et cùm dicis,Omne quod diuiditur, eſt in potentia ad diuidentia: verum eſt ſi diuidentia formalitatem habeant poſitiuam (quam non habent modi intrinſeci) & prædicentur ſaltem per modum actus ſi ſit in quale eorum prædicatio, & non ſolum ad modum inhęrentis.

Obijcitur iterum, Ens deſcendit ad finitum & infinitum,ergo deſcendit ad vnum ſecundum ſe totum, aut partialiter tantum: ſi ſecundum ſe totum, nullum erit ens extra Deum, cùm totum (apud Ariſt.3.phiſic.tractatu de Infinito, tex.com. 63.) ſit extra quod nihil eſt: ſi partialiter tantum, ſequitur Deum eſſe ens partialiter tantum: quod eſt abſurdum. Reſpondeo,argumentum illud procedere à diuiſione Logica ad diuiſionem Phiſicam,ideo non concludit: Nam totum ens contrahitur ad Deum.ita intelligendo quod in Deo nihil deſit de natura entis,ideo falſa eſt illatio,qua extra Deum nihil entis eſſe infertur. Et ad totius diffinitionem,totum eſt extra quod nihil eſt, dico illam ſic eſſe veram, ſi ita exponatur: Totum eſt extra quod nihil eſt requiſitum ad ipſum totum, & ſic in Deo nihil deeſt ad naturam entis requiſitum: ſed non inde conſequitur ens in ſolo Deo eſſe, & non etiam in creaturis.

De cognitione intuitiua & abſtractiua.

CAPVT XXXII.

Sire- ctus art. 2. LICET modus intrinſecus, non ſit de eſſentia ſuę quiditatis: tãta eſt inter vtrumque vnitas, vt modus ſaltem ſine quiditate concipi non poſſit, nec ipſa quiditas ſine modo niſi conceptu imperfecto: ſi enim concipiam albedinem cum certo gradu, tunc eſt conceptus perfectus: & ſi eam nullo gradus habito reſpectu concipiã, eſt conceptus imperfectus. Quini mò, ſi realitas videretur perfectè & intuitiuè, intuẽs, vnicum haberet obiectum realitatis & modi intrinſeci: quamuis intelligẽs intellectione abſtractiua, propter illius intellectionis imperfectionem, poſſet vnum habere pro abiecto formali ſine alio. Cognitio intuitiua intellectus, eſt rei exiſtentis, vt exiſtens eſt in propria natura, & exiſtentia, vel in aliquo eminentiori, nempe in verbo diuino, in quo velut in lucidiſſimo ſpeculo omnia ad ſuam beatitudinem conducentia vident beati, & ea quæ Deus illis dignatur reuelare: quæ cauſatur ab obiecto præſente ſenſui pro hoc ſtatu, vel in verbo repræſentato, vt præſente pro ſtatu patriæ. Cognitio abſtractiua, eſt rei non præſentis in ſe, ſed in ſpecie intelligibili: fitque ab obiecto non in ſe prçſente ſed ſpecie intelligibili, quemadmodum actus imaginandi fit ad obiecto imaginabili non præſente in ſe, ſed in ſpecie phantaſtica exiſtente in potentia imaginatiua, qui actus ſic cauſatur à ſpecie, quod non ab obiecto ad extra: imò nullo modo exiſtente obiecto in rerum natura, cau-

cauſatur à ſpecie actus imaginandi, eo modo quo patrem meum aut alium imaginor qui non extat. Iſta cognitio abſtractiua, eſt imperfectior & obſcurior cognitione intuitiua: nam actus cognoſcendi, eſt diſtinctior in potentia cognoſcente, quanto obiectum fuerit ei perfectius præſens: ſed obiectum in ſe præſens, eſt magis præſens potentiæ, quàm in ſpecie repræſentante: Ergo actus cognoſcendi intuitiuus, qui eſt ab obiecto in ſe præſente, eſt diſtinctior actu cognoſcendi abſtractiuo, qui eſt ab obiecto in ſpecie. Quod ſi quis hanc abſtractiuam cognitionem neget intellectui tribuendam, dicens de ea Ariſt. nullam mentionem feciſſe (quanquam difficile foret totum eiuſdem philoſophi recitare textum.) Reſponſio erit expedita ſi dicatur locum ab authoritate negatiuè nullius eſſe valoris, neque negandum eſt potentiæ ſuperiori quod inferiori tribuitur (cùm ea quæ in inferioribus ſparſa ſunt, in ſuperioribus ſint collecta) certum eſt autem, ſenſum has ambas habere operationes, cùm ſenſus exterior intuitiuè erga præſens operetur obiectum: & interior erga idē abſens, licet per ſpeciem phantaſticam repræſentatum. Ex his igitur patet, intellectum noſtrum cognoſcere abſtractiuè & intuitiuè. Faxit Deus vt in patria cœleſti, Deum omnium bonorum præmiū intueri digni efficiamur. Amen.

Deo omnipotenti, laus & gloria.

FORMALITATVM MONOTESSERAE

LIBER II.

Qui eſt de vniuocatione, & diuiſionibus entis.

PRAEFATIO.

PRAECIPVVS *metaphiſicę finis (cùm ipſa rerum naturas à ſingularibus contempletur abſtractas) eſt entis, diuiſiones, & communitates apprimè intelligere. Parùm etenim eſſet philoſophiæ (& præſertim Chriſtianæ) cultori: ſi ſpecies ab indiuiduis naturæ abſtractæ, aut generum à ſpeciebus vel certè ipſarum cathegoriarum à ſuis inferioribus: ſolùm haberet conſiderationem: ſi etiam Dei optimi omnes cathegorias longè tranſcendentis ob eius infinitatem & incomprahenſibilem maieſtatem, non haberet aliquam cognitionem. Hæc autem infiniti cognitio eſſe non poteſt, ſine ſuorum eſſentialium intelligentia, inter quæ latiſſimum eſt ens metaphiſicæ ſubiectum: ex cuius latitudinis diſtinctione, non ſolũ ad ipſius max. Dei notitiam, verum etiam ad rerum finitarum patet aditus. Quocirca de entis vniuocatione & diuiſionibus eius precipuè erit hic libellus.*

Ens eſt vniuocum.

CAPVT I.

ENS igitur, vt eſt metaphiſicæ ſubiectũ, vniuoce prædicatur de ente ſimpliciter, quod in rerum natura exiſtit, & de ente, quod ſecundum quid habet eſſe & cognitum, & ideo poſſibile, cui videlicet eſſe non repugnat veluti eſt Antichriſtus futurus, & roſa quę anno proximo erit: necnon de ſubſtantia & accidẽte, ſaltem ad illa eſt prædicatum vniuocum. Probo, intellectus certus de vno & dubius de duobus habet conceptum alium, de eo de quo eſt certus à conceptibus eorum de quibus eſt dubius: ſed intellectus ſæpe eſt certus de aliquo quod ſit ens, dubitando vtrum ſit ſubſtantia aut accidens, ergo habet conceptum entis de quo eſt certus, alium à conceptibus ſubſtantiæ vel accidentis, de quibus eſt dubius: ergo conceptus entis alius eſt à cõceptibus ſubſtantiæ & accidentis. Quod non eſſet ſi eſſet æquiuocum, quia ęquiuocũ non habet conceptum alium à ſuis æquiuocatis: ſed ſunt tot conceptus quod æquiuocata. Diuerſa ſunt terminum æquiuocum eſſe & æquiuocè prædicari, nam terminus ſingularis æquiuocè de pluribus eiuſdem nominis prædicatur: vt cùm dicitur, hic & ille homo ſunt duo Iacobi (licèt inſuetus ſit hic loquẽdi modus) non tamẽ eſt terminus æquiuocus, quia non eſt pluribus cõmune nomen, vnica impoſitione, cùm duobus ſit impoſitũ duabus impoſitionibus. Diuerſa ſunt etiã, terminum eſſe vniuocũ & prædicatum vniuocum: nam album eſt prædi-

Sire-ctus art. 2.

catum vniuocum ad hominem & parietem, cùm vnicum habeat obiectiuum conceptum vtrique communem: nec tamen propriè eſt terminus vniuocus, ꝙ diffinitionem non importet illis commu nem: ſic dicitur prædicatum vniuocũ, Omnem accidens reſpectu ſubiecti. Proinde prędicatio eſt æquiuoca, cùm communicatio eſt tantũ nominis cęterarum rerũ, nullus eſt conſenſus, vt hæc: ſidus eſt canis, animal eſt canis. Prædicatio vniuoca eſt, cũ prædicati ratio, eſt quoq; ſubiecti diffinitio vel pars diffinitionis: vt homo eſt animal, animal eſt ſubſtãtia. Ex his patet terminum vniuocũ propriè ſumptum, non prædicari vt accidens de ſubiecto, nec vt proprium de ſuo ſubiecto, nec vt differentia de genere, nec vt genus de differẽtia, nec vt modus intrinſecus de ſua quiditate, nec vt quiditas de modo, nec vt inferius de ſuperiori directo, vel indirecto, ſed (breuiter loquendo) vt ſuperius de inferiori directo vel indirecto. Ad pleniorem prædictorum intelligentiam notãdum eſt, Conceptũ duplicem eſſe, formalem, qui eſt ex parte intellectus: cùm ſit ipſe actus intelligendi, & notio qua res noſcitur, & iſte non facit vt aliquid ſit vniuocũ aut æquiuocum. Alium obiectiuum quòd ſit ex parte obiecti, quinimò eſt res ipſa cognita aut cognoſcenda, quæ poteſt mouere vel terminare actũ intellectus. Cùm dicat Scotus 9. theor. Conceptũ, dico quod actum intelligendi terminat.

Tr. 6b. art. 2.

Concluditur ex dictis, omne illud quod poteſt mouere, vel terminare intellectũ, habere cõceptũ per ſe vnum, qui eſt idem apud omnes, & ſi nomina ſint diuerſa. Et ſic lapis per ſpeciem intelligibilẽ, vt mouet aut terminat intellectũ eſt conceptus: Et quotieſcunque talis conceptus eſt in ſe vnus, & de

de pluribus ſub vno nomine, dicitur quoddã vniuocũ ad illa de quibus prædicatur, ſiue quiditatiuè, ſiue denominatiuè: ſicut albũ (vt dictũ eſt) vniuocũ eſt ad hominẽ & lignũ, & animal ad hominẽ & equum. Hinc concludo, non eſſe inconueniens aliquod eſſe vniuocum & non vniuocè dictum, ſicut denominatiuũ, quod vniuocè non prędicatur, licet ſit vniuocum prædicatũ. Nam ſicut eſt aliud prędicatum eſſe quid & in quid prędicari (cũ ex 1. Topicorũ cap. 7. in omni genere ſit inuenire quid, licet quodlibet cuiuſcunque generis non prædicetur in quid de quocunque, ſed tantum de ſuis inferioribus, in quorum includitur eſſentiali ratione) ita in propoſito aliud eſt eſſe vniuocũ & vniuocè dici. Si de his plura deſideras, lege Scotũ. li. 3. di. 7. q. 1. & lib. 1. diſt. 3. q. 3. vt tuus ſatietur appetitus.

Vniuocum & ęquiuocum ſunt immediata.

CAPVT II.

INTER vniuocum & æquiuocum non eſt dare mediũ (ex quo ſequitur, omne prædicatum eſſe vniuocum vel æquiuocum) quod per eorum diffinitiones probari euidenter poteſt, quæ initio prędicamentorũ Ariſtotelis habentur, vniuoca dicuntur quorũ nomen eſt cõmune, & ſecundũ illud nomen ratio ſubſtãtiæ eſt eadẽ. Aequiuoca verò quorũ nomen eſt cõmune, & ratio ſubſtãtiæ non eſt eadẽ: ſed habere eandẽ rationem, & non habere eandem rationẽ ſunt contradictoriæ, ideo non compatiuntur medium ſicut nec idem & diuerſum: quæ ſunt immediatè oppoſita circa ens ex 10. metaph. tex. com. 9.

ergo illa quorum ſunt diffinitiones immediata.
Exponendum eſt quid velit hęc dictio Ratio, vt intelligatur planè diffinitio vniuocorum & æquiuocorum. Ratio igitur ſumitur, vel pro ratione obiectiua, vel pro formali. Ratio obiectiua eſt diffinitio, & ſic ſumitur in prædicta vniuocorum & æquiuocorũ deſcriptione. Ad hunc ſenſum loquitur Ariſt.7.metaph.tex.com.33. ſicut ratio ad rem, ita partes rationis ad partes rei. Similiter omnes cõceptus obiectiui, qui poſſunt terminare actũ intellectus, appellãtur rationes apud Ariſt. veluti 5. metaphiſicæ ca.de Falſo tex.com.34.vbi vult rationem in ſe falſam eſſe de omni falſam, & rationem in ſe veram eſſe conceptum, qui non includit partes ſibi inuicem repugnantes. Ratio formalis duobus modis ſumitur, pro actu primo, & pro actu ſecũdo: ſi pro actu primo, capitur pro potẽtia ratiocinatiua, quæ eſt formaliter potẽtia rationalis, quę duplex eſt, nam quædam eſt vniuerſalis, alia particularis. Vniuerſalis eſt anima quæ circa vniuerſalia diſcurrit. Iſta autem potentia ſumitur duobus modis, vno modo pro ea cuius eſt diſcurrere etiã circa vniuerſalia, cuiuſmodi eſt intellectus. Alio modo pro potentia cuius eſt eligere & determinare de agibili: & ſic de volũtate intelligitur, quę eſt electiua ex Ariſt.9. metaph. tex.com.10. vbi Commentator dicit, quod voluntas eſt oppoſitorum. Particularis eſt ipſa cogitatiua, ex.2.de Anima, vel potentia collatiua, & ſic non ſolum cognitiua, verumetiam imaginatiua: & ſenſus cõmunis poſsũt rationes appellari, quia quælibet iſtarum poteſt operari circa obiectum, non ſolum in ſe, verumetiam conferendo vnum ad aliud. Quod apparet de ſenſu communi, qui ponit differentiam inter,
ex-

extrema ſenſibilia, in quantum ſenſibilia ſunt, & vnum alteri præfert, quod ſine actu collatiuo fieri nequit. Ratio formalis pro actu ſecundo, eſt diſcurſus intellectus à præmiſſis ad concluſionem. Capitur etiam pro actu collatiuo, quo vnum obiectum ad alterum refertur, apud Scot. d. 45. lib. 1. ſent. q. vnica, vbi vult potentiam volitiuam, & quãcunque aliam collatiuam, poſſe cauſare rationem & diſtinctionem rationis.

Ratio etiam capitur pro forma, apud Ariſtot. 5. metaph. tex. com. 3. vbi appellat ſpeciem intelligibilem, & formam domus rationem, quod (meo iudicio) ſpecies ſit ratio cognitionis quæ cauſatur de repræſentato per eam, & forma cognitionis quæ eſt de re cuius eſt forma.

Obiectiones contra entis vniuocationem, ad quarum ſolutionem probatur ex propriis verbis Ariſtotelis & Auerrois, ens eſſe vniuocum.

CAPVT III.

VIDETVR ens æquiuocum eſſe ex verbis Porphyrij ca. de ſpecie, vbi Ariſt. citat dicentem. Si quis omnia entia vocet ęqui uocè nuncupabit & non vniuocè. Reſpondetur, Porphyrium non aſſignare locum vbi hęc dicat Ariſtoteles, neque etiam legitur: & ſi quis opponat ipſius Porphyrij authoritatem, poteſt negari, quod non ſit tantæ authoritatis quantæ Ariſtoteles quem perperam citat, nam Ariſtot. ipſe. 4. metaph. tex. com. 2. oppoſitum dicit, cuius hæc ſunt genuina verba. Ens dicitur multis modis, ſed ad vnam, & ad vnam aliquam rem, & non

æquiuocè : & eadem repetit verba eodem textu di cens,Ens igitur dicitur multipliciter, & non dicitur ęquiuocè,ſed attribuitur vni rei & vni naturę, ſicut omne ſanans attribuitur ſanitati. Cōmentator ad iſta verba ſic habet. Ariſtoteles vult docere quod hoc nomē ens,non eſt æquiuocū: ſi enim eſſet æquiuocū,non conſideraret de eo vna ars. Ens enim (ait ipſe Auerroes) dicitur multis modis, & non æquiuocè: ſicut canis de latrabili, & marino: neque vniuocè, vt animal de homine & aſino , ſed eſt de nominibus quę dicuntur de rebus attributis eidē: & ſunt media inter vniuoca & æquiuoca, hęc Auerroes.Et hoc eſt quod dicimus,ens nō prędicari quidē vniuocè, ſed eſſe prædicatum vniuocū. Quod ſi obijciatur,Iam dictū eſſe inter vniuocum & æquiuocū non eſſe medium, dicēdum eſt inter prædicatum vniuocū & æquiuocum nō quidē eſſe mediū, ſed inter prædicari vniuocè & æqui uocè. Latius eſt enim prædicatū eſſe vniuocū aut æquiuocū, quā vniuocè aut æquiuocè prædicari.

Si obijciatur, Ariſt.ſententia quam dicunt ſcribi 7.metaph.tex.com.4.(quanquam alibi ſit requirenda) dicentis accidentia non ſunt entia,niſi quia entis vera eſt quò ad exiſtentiam: nam non exiſtūt (ſine miraculo vt in auguſtiſſimo euchariſtiæ Sacramento) niſi in ſubſtantia.Dices ex his ſequi ſubſtantiam ens dici per quandam autonomaſiam, & ſic intrinſecè eſſe accidente perfectiorem:quod tecum fateor ad mentem Ariſt. 10.metaphiſicæ, qui in quolibet genere aliquod cōſtituit metrum perfectionis: non tamen genus magis prædicatur de illo metro, quam de alijs,ſpeciebus. Exempli gratia, In genere animalis perfectiſſima ſpecies eſt homo, non tamen magis dicitur animal de homine

quam

quam de equo, ſic perfectiſſimum, entium eſt ſubſtantia, quam Ariſt. 7. metaph. tex. com. 4. vocat primum ens, & ens ſimpliciter: non tamen inde ſequitur, ens illi magis competere quàm accidenti.

Aliæ obiectiones, contra eandem entis vniuocationem, pro quarum ſolutione ponitur vniuocatio duplex tranſcendens & limitata.

CAPVT IIII.

OBIICI etiam poteſt, nihil eſſe vniuocum niſi ſe habeat ad habitudinem alicuius quinque prædicabilium: modò ens neque genus eſt, neque ſpecies, neque differentia, neque proprium, neque accidens: cùm in nullo ſit prędicamento, & omnia quę talẽ alicuius vniuerſalium habent habitudinem, ſint limitata in cathegorijs, vt patet ex Porphyrio, qui ſuum dirigebat librum ad Ariſtotelis cathegoriarum rationem & cognitionem habendam. Ex his videtur ſequi ens vniuocum non eſſe.

Reſpondeo, vniuocatio eſt duplex, tranſcendens & limitata, hæc eſt reſpectu alicuius prædicati, quod de multis prædicari poteſt ad alicuius quinque vniuerſalium habitudinem, & iſto modo ens non prædicatur vniuocè, ſicut dicit Porphyrius: Si quis omnia entia vocet ęquiuocè, nuncupabit quamuis aliter huic authoritati iam ſit ſatisfactum. Loquendo pro formali vniuocatio limitata eſt tantum ſecunda intentio quæ ad aliquid applicatur, quod eſt in prædicamento genus, vel ſpecies, &c. Sicque ens vniuocum non eſt vt patet ex dictis. Vniuocatio tranſcendens, eſt vnitas

alicuius cōceptus realis, qui poteſt de pluribus generibus generaliſſimis dici, (imò de vnico vel de aliquo quod non eſt in prædicamēto, vt ens, vnum, bonum, verum, quę de omnibus cathegorijs, accidens de nouem, relatio de ſeptē abſolutā de tribus, infinitum & neceſſarium de ſolo Deo ſapientia, quæ dicitur de creata & increata. Non enim oportet ad rationem tranſcendentis, quod de omnibus generibus generaliſſimis prędicetur: immò neque de vno, modo dicatur de aliquo quod non ſit in prædicamento. Pro formali vniuocatio tranſcendens eſt ſecunda intentio (nam ſecundæ intentiones ex æquo rebus tranſcendentibus applicantur atque limitatis, & tunc dicuntur tranſcendentes fundamentaliter, ratione ſui fundamenti tranſcendentis, non tamen formaliter, quod tranſcendant cathegoriam in qua reponuntur, ſecundum ſuperius & inferius, eo ordine quo in primis) quæ alicui attribuitur quod non eſt in prædicamento, & ſic ens eſt vniuocum. Hæc autem fundantur in regula Scoti libr. 1. ſent. d. 8. q. 3. illud quod eſt indifferens ad finitum & infinitū eſt tranſcēdens, ens autem eſt commune ad infinitum Deum, & ad ea quę prędicamentali ordine coercentur, quę omnia finita ſunt. Genus enim eſt finitum, quia eſt in potentia ad differētiam & natum perfici per eam: differentia eſt finita, quia caret actualitate generis quod non includit in ſuo conceptu formali ex Ariſt. 3. metaph. ſpecies eſt conſtituta ex realitatibus finitis, & ſic eſt finita: ergo ens ad Deum & creaturas indifferens eſt tranſcendens, & ita dicendum eſt de ſapientia, iuſtitia, & ſimilibus quæ Deo conueniunt & creaturæ. Probatur iterum hoc modo ad rationem tranſcendentis, non requiri quod de

multis

multis dicatur generibus: ſicut enim de ratione generis generaliſſimi (ait Scot. lib. 1. d. 8. quęſt. 3.) eſt quod nō habeat aliquod ſuperueniēs genus: quod autem de multis ſpeciebus dicatur, hoc accidit illi, quia ſtat genus eſſe ſine multis ſpeciebus vt hoc prædicamētum. Quando quod eſt generaliſſimum genus, & tamen paucas habet ſpecies ſub ſe, vel fortè nullas inquit ipſe (licet Titelmanus lib. prædicamentorum capi. 55. dicat, quando ſpecies eſſe, quando ſimplex, & quando compoſitum, ad quem recurret lector qui de hijs plura diſcere volet) ita de ratione tranſcendentis eſt, quod non ſit per ſe in genere, & quod de multis dicatur, eſt illi accidens: ſic etiam probatur, entis non tantum ſunt paſſiones ſimplices vnum bonum, verum quę cum eo conuertuntur omnes, ſed etiam ſunt diſiunctę, velut vnum, vel multa, neceſſarium & contingens, quarum quælibet pars tranſcendens eſt æquè ac tota: & tamen aliqua pars tantum vni competit, vt eſt iſta neceſſarium. Neceſſitas enim ſoli Deo competit. Notandum eſt tamen ens ſumi tranſcendenter in propoſito, & nō tranſcendentiſſimè, vt commune eſt enti reali & enti rationis; quia ſic eſt æquiuocum quacunque æquiuocatione, vt poſtea dicetur.

Aptitudo eſſe poteſt ſine potentia.

CAPVT V.

CONTRA id quod dicitur genus poſſe eſſe ſine ſpecie, aliqua obijciūtur: Genus diuiditur per differentias oppoſitas, ergo genus ſaltem duas habet ſpecies. Tröb. art. 1.

Reſpōdetur, genus eſſe affectū diuidi in differētias

tias oppoſitas, & habere aptitudinem ad ſic diuidi, licèt non habeat potentiam vt ſic diuidatur, quia nō ſunt ſpecies, de quibus dicatur. Differt enim potentia ab aptitudine, quod aptitudo ſit inclinatio & non repugnantia ad aliquid. Potentia verò dicit ordinem ad actum, ita vt potens attingere poſſit actum. Quod poſſit eſſe potentia ſine aptitudine, probatur exemplo. Lapis enim vel aliud graue, potentiam habet ad eſſe ſurſum ſi illic retinetur, ſed non habet aptitudinem, quia graue ex ſua naturali inclinatione tēdit deorſum. Aptitudo etiam eſt ſine potentia in cæco ad videndum, nihil enim dicitur priuatum, niſi quòd natum ſit habere habitum: ex Ariſt. in poſt prædicamentis, cap. de oppoſitione, & 5. metaph. cap. de priuatione, tex. com. 27. Non eſt tamen naturaliter poſſibile, cæcum videre, quia à priuatione ad habitum non eſt naturalis regreſſus, ſic nulli vniuerſali repugnat ex ſua forma de pluribus dici: hæc tamen aptitudo impediri poteſt, quia non ſunt multa de quibus dicatur. Hęc Scot. quęſt. 18. de vniuerſalibus. Quod ſi dicas impoſſibile eſt aliquid aptum eſſe dici de pluribus differentibus ſpecie, niſi ſint plura differentia ſpecie, quæ ſint apta recipere prædicationem illius: Igitur ſi iſta aptitudo ſufficit ad genus, ſimilis aptitudo recipiendi ſufficit ex parte ſpecie: igitur ſi aliquod ſit genus actu propter talem aptitudinem, ipſa quæ genus ipſum aptitudinaliter participant, erunt actu ſpecies, ergo omne genus habet actu multas ſpecies. Reſpondeo, negando conſequentiam iſtam, Genus eſt natum & aptum dici de pluribus ſpeciebus, ergo plura ſpecie differētia nata ſunt eius ſuſcipere prædicationem: quia (vt dictum eſt) ſtat aptitudo in vno extremo, & non in alio.

alio. Exempli gratia, Forma ſolis apta eſt & nata aliam materiam informare à materia ſolis ex ſua natura, ſed nulla alia materia nata eſt talem recipere formam.

Diuiſio entis tranſcendentiſſimè ſumpti, in ens reale & rationis.

CAPVT VI.

ENS igitur (vt dictum eſt) tranſcendentiſſimè ſumptum Anologa æquiuocatione diuiditur in ens reale & ens rationis. Ens reale illud eſt, quod habet aut poteſt habere eſſe, citra potentię alicuius collatiuę opus collatiuum. Tres autem ſunt collatiuę potentiæ, intellectus, volūtas, & ſenſus communis. De intellectu ſic probari poteſt, Illa eſt potētia collatiua, quę operatur circa aliquod obiectum: non tantum in ſe, verumetiam in ordine ad aliud: ſed intellectus talis eſt: nam intelligit hominem eſſe animal, non tamen brutum: eſſe ens, non tamen reſpectiuum: eſſe ſubſtantiam, non accidens: hęc ſine comparatione fieri non poſſunt, ergo intellectus eſt potentia collatiua. Prima entis diuiſio & ęquiuoca.

De voluntate, probatur aſſumpta, pręmiſſa maiore, cum hac ſubſumptione. Non tantum voluntas amat creaturam in ſe, verumetiam in ordine ad aliud, vt proximum propter Deum, ergo voluntas eſt potentia collatiua. Cōmētum illud, eſt quidē 145. numerando à 1. commento 2. li. vſ-

De ſenſu communi, probatur per Ariſt. lib. 3. de Anima tex. com. 145. vbi docet ſenſum communem ſonum appræhendere & colorem, & non ſolum ſonum in ſe, ſed vt differentem à colore, & ita compa-

que ad illud, ſed eſt 18. in 2. libr. de Anima cap. 2.

comparat vnum ad reliquum, ergo eſt potẽtia collatiua. Ens autem rationis illud eſt, quod habet eſſe per actum collatiuum alicuius prædictarum potentiarum collatiuarum, licèt non ſit ſecunda intentio, niſi per actum collatiuum intellectus. Latius eſt enim ens rationis quam ſecunda intentio, quæ eſt paſſiua comparatio ex actiuis & rectis ſui fundamenti & termini, ſub logica proprietate ab intellectu, cauſatis actibus velut relicta, quapropter ab intellectu in eſſe & conſeruari dependet: quod tandiu habeat eſſe quandiu operatur intellectus, quo ceſſante deſinit ipſa. Horũ propono exemplum. Si intellectus animal cum homine compareť, ſub ea proprietate qua animal eſt ſuperius & homo inferius (igitur hæ voces paſſæ ſunt comparationem) illa autem paſſiuá comparatio eſt ſecunda intentio, quæ ſi fundetur in homine & ad animal terminetur, vocabitur inferius, vel ſpecies: ſi verò in animali fundetur & ad hominem terminetur, vocabitur ſuperius vel genus. De hoc ente rationis lege Scotum in 4. d. 1. q. 2. vbi dicit quod non eſt aliud quam relatio rationis, quę non mouet intellectum ad ſui conſiderationem, ſed ad eam conſiderandam mouetur intellectus à re ad extra, videlicet ab eius fundamento. Duobus alijs modis dicitur ens rationis, Primò dicitur ens rationis, quod eſt in anima ſubiectiuè, vt actus, & habitus, & ſpecies intelligibiles: Sed illa verè ſunt entia realia de genere qualitatis: dicuntur tamen entia rationis, quia ſunt in intellectu (qui eſt potentia ratiocinatiua) vt in ſubiecto.

Alio modo dicitur ens rationis obiectiuè, quod eſt obiectum rationis & intellectus, vt ipſum terminat: & hoc duobus modis, habitualiter & actuali-

actualiter. Primo modo eſt ens quod habet eſſe in intellectu per ſpeciem intelligibilem, non actu mouentem, ſed in proxima diſpoſitione vt moueat: & tale eſt reale. Secundo modo actualiter, & hoc duobus modis, ante actum intelligendi, vt obiectum relucens in ſpecie intelligibili actu mouente: cùm tale obiectum ſaltem ordine naturæ præcedat actum intelligendi, quia cauſat effectiuè ipſum: Cauſa autem natura præcedit effectum, ergo tale obiectum non dependet ab intellectu, & ſic eſt quoque ens reale, & de hijs quæ Ariſt. 5. metaphi.tex.com. 14. in decem diſtinguit prædicamenta: omne autem quod per ſe eſt in prædicamento, eſt ens reale. Alio modo aliquid habet eſſe in intellectu obiectiuè, ſed poſt actum intelligendi à quo dependet (vt dictum eſt) in fieri & conſeruari vt ſecundæ intentiones, atque omnia entia rationis, de quibus doctor Subt.lib.4.d.1.q.2. Et iſtud non eſt ens reale, immò contra ipſum diuiditur, vt oppoſitum membrum & ſufficienter, quia omne ens eſt reale vel rationis.

Ens diuiditur in abſolutum & reſpectiuum.

CAPVT VII.

ENS reale diuiditur in abſolutum & reſpectiuum. Abſolutum eſt quod ad aliud formaliter non refertur, vt Deus & omnia attributa, & perſonarum appropriata in diuinis: & tria genera generaliſſima, ſubſtantia, quantitas, & qualitas. Reſpectiuū dicitur, quod eſt formaliter ad aliud, vt ſunt in diuinis relationes notionis, vt paternitas, innaſcibilitas, filiatio, ſpiratio

Secunda entis diuiſio.

tio actiua,& ſpiratio paſſiua, & relationes communes,vt identitas,ęqualitas,ſimilitudo,& ſeptem vltima prędicamenta, quorum primi videlicet ad aliquid, relationes dicuntur intrinſecus aduenientes,quod neceſſariò ponantur poſitis extremis fundamento & termino,ſicut paternitas, filiatio,& ſimilitudo : implicat enim contradictionem, ponere duo alba, quin ſit ſimilitudo etiam per potentiam diuinam, ſecundum Scot. in 2.& 3. Relatio extrinſecus adueniens, ea eſt quæ non neceſſariò ſequitur, ad extrema poſita in actu, ita quod ſaltē per potentiam diuinam, poſſunt poni fundamentum & terminus, & tamen non erit relatio. Sunt autem reſpectus ſex vltimorum prædicamentorum, hoc patet de relatione agentis ad paſſum. Danielis 3. de tribus pueris in camino ignis ardentis, qui illæſi ſine combuſtione exiuere. Et de B. Ioanne Euangeliſta qui (apud Tertulianum) in feruentis olei dolium miſſus, illæſus exiuit. Si quis obijciat ignem non eſſe proximum combuſtionis fundamentum, ſed approximationem agentis ad paſſum: Reſpondeo, hoc eſſe falſum, quia approximatio neque agens neque patiēs denominatur. In actione autem aut paſſione ſemper vnum extremorum dicitur agens, & alterum patiens: ſed hoc falſo dato, dico approximationem fuiſſe ignis ad pueros illos (vt patet ex textu Scripturæ) tantam vt etiam eos conſumpſerit ignis, qui eoſdem pueros in fornacem mittebant.

Notandum eſt interim, Actionem, paſſionem, quando, vbi, ſitum & habitum, non dici propriè relationes, ſed reſpectus: Reſpectus autem communis eſt ad relationes, quæ propriè ſunt in prædicamento ad aliquid, & ad reſpectus aliorum ſex

prædi-

prædicamentorum. Vnde notandum eſt iſta ſe habere per ordinem relatiuum, relationem, reſpectiuum,& habitudinem: nam omne relatiuum includit relationem (relatiuum enim vltra relationem quam includit, etiam includit aliquod abſolutum, quod per ipſam relationem refertur) ſed relatio non includit aliquod abſolutum, immò ab illo abſtrahit. Similiter omnis relatio eſt reſpectus, ſed non omnis reſpectus eſt relatio, quia relatio ſolum eſt de prædicamento ad aliquid. Reſpectus autem eſt communis prædicamento ad aliquid, & ſex alijs vltimis generibus ſupremis: ſimiliter omnis reſpectus eſt habitudo, ſed non è conuerſo, quia inter ſubiectum & propriam paſſionem, inter ſubiectum & accidens, inter Deum & attributa, eſt habitudo, non tamen reſpectus: quia repugnat eſſentiæ diuinæ, vt eſſentia eſt ad aliquid referri. Sic ſubſtātię vt ſubſtātia eſt.

Ens dicitur quiditatiuè de abſoluto & reſpectiuo.

CAPVT VIII.

ENS prius diuiditur in abſolutum & reſpectiuum, quam in decem prædicamenta: ex quo ſequitur quod (cùm prædicetur de ſuis primis partibus ſubiectiuis, quæ non ſunt ſimpliciter ſimplices) ſic prędicatur quiditatiuè de abſoluto & reſpectiuo, quę mediāt inter ipſum & decē genera generaliſſima, Contra videtur ens eſſe genus, cùm abſolutū et reſpectiuū differant ſpecie & decem cathegorię: ergo ipſa decem prædicamenta non eſſent generaliſſima, cùm haberent ſuprauenięns genus, vulgò (& rectè) Trób. art. 2

G reſpon-

reſponderi ſolet, ens eſſe tranſcendens (vt dictum eſt) & ſic non eſt genus. Idem dicendum eſt de abſoluto & reſpectiuo, quorum primum commune eſt ad finitum & infinitum formaliter Deum & creaturas, & nullum indifferens ad finitum & infinitum poteſt eſſe genus ex Scot. 8. di. 1. q. 3. nec obſtat quod ens finitum determinetur ad 10. prædicamenta, quia licet quodlibet in genere contentum ſit finitum, non tamen quodlibet de genere dictum. Secundum videlicet reſpectiuum cõmune eſt ad finitum & infinitum identicè & realiter, vt ſunt notiones diuinæ, & ſic eſt etiam tranſcendens ſicut abſolutum: nullum autem tranſcendẽs poteſt eſſe genus quod non contrahatur per differentias formales, ſed tantũ determinetur per modos intrinſecos, vt ſatis eſt in alio libro probatum. Contra Scotus in 8. metaph. dicit quod ſi inhęrentia accidentalis eſſet eſſentia eius, quantitas, qualitas, & relatio non eſſent genera generaliſſima. Conſequentiam probat, nam inhęrentia videtur eſſe eiuſdem rationis: in omnibus accidẽtibus igitur poterit abſtrahi vnus conceptus, cõmunis dictus in quid de illis: qui eſſet inferior conceptu entis, & ſuperior eis, & omnis talis (ait ipſe Scotus) eſt conceptus generis, ſed abſolutum eſt de eſſentia ſubſtantiæ qualitatis & quantitatis, de quibus prædicatur, ſic reſpectiuum de ſeptem alijs: ergo genera videntur.

Reſpondeo, Scotum illud dicere nõ aſſertoriè, ſed diſputando: nam etiam ſi inhærentia eſſet de eſſentia accidentis, non tamen eſſet genus, quia eſſet tranſcendens, datur inſtantia de ente. Porrò inhærentia eſt duplex, Aptitudinalis quæ eſt paſſio cuiuſlibet accidentis, denominatiuè ſumpti, & eſt

redu-

reductiuè in prædicamento ſui ſubiecti cui realiter identificatur. Alia eſt actualis quæ duobus modis ſumitur, tranſcendenter primo, & ſic eſt communis nouem prædicamentis denominatiuè tantum. Alio modo limitatè, & ſic eſt ſpecies prædicamenti actionis, ſi dicat reſpectum extrinſecus aduenientem accidentis ad ſubiectum, vel eſt de prædicamento paſſionis, ſi dicat reſpectum extrinſecus aduenientem ſubiecti ad accidens. Notandum eſt inſuper inhærentiam actualem ab accidente abſoluto realiter diſtingui: cùm ſine ea exiſtat in auguſtiſſimo altaris ſacramento, ſed realiter eadem eſt reſpectiuo, quod per nullam potentiam ſine inhærentia exiſtere poteſt.

Ens quiditatiuè prædicatur de materia & forma.

CAPVT IX.

QVIA materia & forma ſunt abſoluta, conſequitur ens de illis quiditatiuè prędicari: vt ſunt Scoti verba in 3. diſt. 1. q. 3. Materia & forma duobus modis conſiderari poſſunt, ſemel pro ſuis vltimis realitatibus, hoc eſt pro ſuis eſſentijs ſimplicibus: ſcilicet materia prima, vt eſt pura & nuda materia ſeu potentia, & nullo modo compoſita, ex aliqna forma ſibi aduenięte. Similiter forma pro ſua ſimplici actualitate, vt nullo modo cum materia componitur: eo modo quo Auerroes loquitur 1. Phiſic. com. 1. cùm dicit, quæ ſunt præter materiam primam, & vltimam formam, ſunt materiæ compoſitæ & formæ compoſitæ. Et hoc modo ens non prædicatur de materia & forma quiditatiuè, vt tenet Scotus

in 2.diſt.13. q.1.qui vult materiam & formam eſſe primo diuerſa, & ſic alterius rationis omnino. Et apud Ariſt.5.metaph.cap.de eodem vel diuerſo, & 10.metaph.tex.com.12. ſunt nihil idem includentia, ita quod nihil vnius eſt aliquid alterius: ergo materia & forma ſic accepta, non includunt aliquid quiditatiuè. Alio modo ſumuntur materia & forma, pro eſſentijs compoſitis ex vtriuſq; realitate,& ſic ens de illis dicitur quiditatiuè.Illud autem eſt ens quiditatiuè,in cuius conceptu formali includitur ratio entis: quia prædicari quiditatiuè de aliquo, eſt prædicare eſſentiam per modum eſſentiæ, ita vt ratio prædicati includitur in ratione ſubiecti,ſicut animal de homine prædicatur.Illud verò eſt ens denominatiuè, in cuius conceptu formali non includitur ens, ſed ipſum includit per modum adiacentis & denominantis, licet ipſum includat, identicè & realiter. Sic animal prædicatur de rationali, ſolum per modum adiacentis & denominantis:non tamen quod ratio animalis includatur in conceptu rationalis, quia genus ſemper eſt extra conceptum differentię, ex Ariſt.3.metaph. tex. com. 10. Animal tamen ſic de rationali prædicatur, quod eſt ſibi idem realiter, & eſt eadem res,licet diſtinguatur formaliter: ſic ens non prædicatur quiditatiuè de modis intrinſecis, per quos determinatur:quia ſicut genus eſt extra conceptum differentiæ, & è contra, ita determinabile eſt extra conceptum determinantis, & è conuerſo. Similiter ens non prædicatur quiditatiuè de ſuis paſſionibus: quia ſubiectum ex 7. metaph. tex.com.17.& 19. cadit in diffinitionem paſſionis, vt additum: quod autem eſt de alicuius diffinitione vt additum,non eſt de quiditate, & ſic propriæ paſſio-

paſſiones ſunt etiam primo diuerſę & ecceitates ſeu differentiæ indiuiduales, quia de eis paſſionibus & differentijs tantum identicè & realiter prædicatur ens.

Iterum probatur ex Arſti. 5. metaph. cap. de eodem & diuerſo, differentiæ ſunt primo diuerſæ, & ſic nihil includunt. Notandum eſt tamen non eadem eſſe differentia & primo diuerſa. Nam differentia in aliquo conueniunt & in aliquo differunt: ſed primo diuerſa in nullo conueniunt, cùm ſint nihil includentia entia. Intelligo quiditatiuè, quia in aliquo conuenire poſſunt identicè, & denominatiuè: ita quod illud commune poteſt de eis identicè & denominatiuè prædicari, eo modo quo genus prædicatur de differentia, licet extra conceptum formalem ipſius. Differentiæ verò in aliquo conueniunt, non tantum identicè & denominatiuè, ſed etiam quiditatiuè: quemadmodum Deus & creatura, & 10. prædicamenta, quæ (vt dictum eſt) conueniunt in ente. Ex his infertur, quod omnis differentia differentium, reducitur ad aliqua quæ ſunt primo diuerſa, alioqui non eſſet ſtatus in differentijs: Exempli gratia, Socrates & Plato differentia ſunt, quia vnus alius non eſt, licet in ente ſubſtantia & animal cōueniant: & differunt per ſuas differentias indiuiduales, quæ ſunt Sorteitas & Platoneitas, quæ diuerſa ſunt & non differentia: ſi enim ſunt differentia, differunt per alia quæ ſunt adhuc differentia vel diuerſa, & ſic in infinitum procederetur. Concluditur ergo quod illa quæ ſunt differentia, differunt per aliqua quæ ſunt primo diuerſa.

Materia eſſe poteſt ſine forma.

CAPVT X.

ABSOLVTVM diſtinctũ & prius alio, ex Scoto lib.2. ſenten. diſt. 12. q.2. poteſt ſine contradictione eſſe ſine illo, ſed materia eſt ens abſolutum (vt dictum eſt) quia ad nihil refertur & diſtinctum, & prius forma quacunque ſiue ſubſtantiali ſiue accidentali, quia ſubiectum ſuſceptiuum formæ illam formã ſemper præcedit, ſaltem natura & origine: ergo videtur materiã poſſe ſine forma eſſe. Quod certè fatendum eſt potentia diuina, nõ tamen via naturę: nã vt docet Scotus loco citato, non minus dependet accidens à ſubiecto, quam materia à forma: ſed accidens poteſt eſſe ſine ſubiecto, vt catholicè tenemus de auguſtiſſimo illo ſacroſancto altaris Sacramento: ergo materiam abſque forma eſſe non repugnat per diuinam potentiam. Hæſitanti autem & dubitanti vbi eſſet illa materia quæ forma careret: Reſpondetur, quod ſicut Angelus qui non eſt quantus, eſt in loco aliquo diffinitiuè, non circunſcriptiuè, ſic eſſet illa materia ſi in vniuerſo fieret: ſi tamen fieret extra vniuerſum vbi locus non eſt, non eſſet alicubi diffinitiuè, nihilominus eſſet materia quædam abſoluta, quæ partes haberet ſubſtantiales & entitatiuas, licet non quantitatiuas.

Contra hæc multa fiunt argumenta, quorum quædam afferam: reliqua qui videre volet, adeat ipſum doctorem Subtilem loco præallegato. Obijcitur ergo, Boętius 1. de Trinitate capit.

pit. 5. qui dicit, omne eſſe eſt à forma, ergo ſi materia ſit ſine forma, erit ſine eſſe, quod eſt contradictio. Reſpondetur, omne eſſe perfectum genericum vel ſpecificum eſſe à forma, quod res omnis ſit alicuius certę ſpeciei propter ſuam formam: non tamen inde ſequitur materiam non poſſe eſſe forma ſpoliatam. Ariſt. quoque & cæteri philoſophi citari poſſunt ad huius partis inficiatoriam, ſed quia ipſi ſolo lumine naturæ diuinam metiebantur potentiam: quòd putarent neceſſarium eſſe cauſarum connexionem, nec putabant primam cauſam agere poſſe ſiue ſecundis ab eorum in hac parte diſcedimus opinione, ne aliquid diuinæ potentiæ detrahamus.

Allegari etiam ſolet, materiam non habere ideam, ergo non poſſe à Deo fieri, ſed falſum eſt antecedens, ergo & conſequens: materia enim alium gradum habet imitādi eſſentiam diuinam, quam forma vel aliquod aliud.

Obijcitur iterum, quanto aliqua ſunt magis vnum, tanto ſunt minus ſeparabilia, ſed materia eſt magis vnum cum forma, quam propria paſſio cum ſubiecto: & paſſio non poteſt ſeparari à ſubiecto, ergo nec materia à forma. Maior eſt nota, Minorem probo, Materia cum forma facit vnum per ſe & eſſentialiter, & propria paſſio cum ſubiecto, facit tantum vnum in ſecundo modo dicendi per ſe. Reſpondetur, materiam & formā in tertio eſſe magis vnum vnionis vnitate quam paſſio & ſubiectum: ſed paſſio & ſubiectum ſunt magis vnum vnitate identitatis, quia realiter identificantur. At verò vnitas vnionis ſemper præſupponit diſtinctionem actualem extremorum, ſiue

formalem ſiue realem. Nam cùm vnio ſit relatio actualis, præſupponit extrema in actu: & cùm ſit relatio realis, vel ex natura rei, præſupponit extrema ſic eſſe diſtincta: quoniam realitas & actualitas relationis eſt ex actualitate, & realitate extremorum: vbi ergo tantum eſt vnitas vnionis excludens vnitatem identitatis vnum extremorum, non eſt idem alteri, neque realiter neque formaliter. Hæc autem vnitas vnionis eſt in vno per aggregationem, & in vno compoſito per ſe, aut per accidens: ſed vnitas identitatis non eſt niſi inter illa quorum vnum alteri, aliqua identate identificatur.

Ens reale diuiditur in quantum & non quantum.

CAPVT XI.

Diuiſio 3. entis.

ENS reale, alia diuiſione diuiditur in quantum & non quantum. Quantitas verò duplex eſt, molis & moris. Quantitas molis eſt per ſe in prædicamento, cùm ſit corpus, vel linea, vel ſuperficies, vel numerus, vel oratio: & ſic ſola corporea & extenſa ſunt quãta. Quantitas moris vel virtutis, eſt ſecundum quã res aliqua ſiue corporea, ſiue incorporea, plures vel pauciores habet gradus perfectionis. De qua B. Aug. 6. de Trinit. capit. 7. In hijs quæ molle magna non ſunt, idem eſt maius quod melius: Cùm ergo diceretur hic Angelus, vel hæc anima, maior eſt aliquo: idem eſt ac ſi diceretur, melior eſt, vel plures gradus habet perfectionis. Hæc quantitas tranſcendens eſt (cùm competat Deo immenſo) & in ſpiritualibus & corporalibus reperitur.

Modo

Modo cùm diuiditur ens per quantum & non quantum, accipitur quantum pro quantitate virtutis: Qua omnes res mundi ſunt quantæ, præter relationes notionis in diuinis, ne aliqua in vna perſonarum perfectio ponatur quæ alteri deſit, & ſic non ſint æquales diuinæ perſonæ.

Ens quantum diuiditur per finitum & infinitum.

CAPVT XII.

ENS quantum diuiditur per finitum & infinitum, quod probatur per Ariſt. 1. phiſic. tex. com. 15. dicentem, Finitum & infinitum quantitati congruunt. Et Commentator eodem loco, Finitum & infinitum quantitati congruunt, quia ſunt differentiæ quantitatis (id eſt modi determinantes ens quantum) ergo quod diuiditur per finitum & infinitum: neceſſariò eſt quantum quantitate perfectionis. Diuiſio 4. entis.

Ens infinitum formaliter eſt ſolus Deus, & ſi attributa & perſonarum diuinarum appropriata ſint etiam formaliter infinita, ſed à Deo eſſentialiter non diſtinguntur. Ens etiam eſt infinitum, ſed permiſſiuè tantùm, licèt primariò, & paſſiones eius, vt vnum bonum, verum: ſunt etiam infinitæ permiſſiuè, ſed ſecundariò. Notiones verò & modi in Deo identicè & realiter tantum. Ens finitum eſt quod in decem prædicamenta immediatè diuiditur. Obijcitur, ex his videtur ſequi relationes notionis eſſe quantas: nam cùm finitum in 10. prædicamenta diuidatur, & omne finitum (ex dictis) ſit quantum: ſequitur manifeſtè relationem prædicamentalem eſſe quantam, ergo

à for-

à fortiori notionalem: nam ſi illud quod minus videtur ineſſe ineſt, & illud quod magis videbitur ineſſe iuerit. Sed relatio prædicamentalis eſt quanta, quod minus videtur: ergo relatio notionis erit quanta, quia magis videtur quod ſit quanta, quia eadem eſt ei quod eſt formaliter infinitum. Reſpondeo, Relationem prædicamentalem ideo eſſe quantam, quia eſt formaliter finita: Relatio verò diuina non eſt quanta, quia non eſt finita, nec infinita formaliter. Vnde relationi cui non repugnat excedere vel excedi, nõ repugnat quãtitas finitas vel infinitas, ſed relationi creatæ non repugnat excedi, ergo ei non repugnat quantitas & infinitas. Et ex oppoſito relationi notionis repugnat excedi, quia eſt eadem infinito, & ſic non poteſt eſſe finita formaliter, quia omne finitum exceditur ab infinito. Neque eſt dicendum talem relationem excedere, quia exceſſus competit ei quod habet rationem menſuræ: Relatio autem non poteſt ſic menſurare, quia quod menſurat eſt ens primum, & habet rationem totius: ſed notio non poteſt eſſe ens primum, neque aliquod totum ex cuius plenitudine perfectionis menſuret quodlibet aliud maius, per acceſſum ad ſe, & minus per receſſum: quia talis ratio menſuræ extrinſecæ, in tranſcendẽtibus ſaltem ſoli abſoluto & enti primo, nempe Deo competit, ergo non eſt notio formaliter infinita. Sequitur ergo relationem in creaturis eſſe finitam & quantam (quia excedi poteſt) relationem verò notionis (cùm communis, vt identitas, ęqualitas & ſimilitudo formaliter ſint quantæ) quia non excedit, nec finitam eſſe nec quantam. Quod ſi quis dicat relationem notionis eſſe metrum ſeu menſuram intrinſecam, in genere relationem, & ſic

ſic alias excedere relationes. Reſpondetur, notionem in relationum genere non eſſe metrum, ſed aliam aliquam relationem (vt fortè paternitatem creatam) quia relatio notionis in genere non eſt, ſed tranſcendens.

Quantum diuiditur in vnum, & multa.

CAPVT XIII.

ENS quantum diuiditur iterum in vnum Diuiſio
& multa, quod ſic declaratur: Homo po- entis.
teſt ab intellectu concipi, in ſuo eſſe quiditatiuo, circunſcriptis omnibus acciden tibus & paſſionibus quę ei competũt, quatenus eſt homo & animal & ens: & ſic in tali præciſione neque ei cõpetit vnitas aut multitudo, quæ ſunt paſſiones entis: tamen de eo demonſtrari poteſt, quod ſit equo perfectior quiditatiuè, quia ei ſemper competit ſua differentia eſſentialis, quæ eſt præſtantior differentia equi, eo quod animal genus deſcendens ad iſta, diuiditur differentijs oppoſitis, quarũ vna nũquam attinget alterius perfectionẽ: ergo quod eſt vnum aut multa, eſt prius quantum.

Vnitas multiplex.

CAPVT XIIII.

VNVM dicitur multis modis, primò vni- Sires.
tate tranſcendenti: & ſic omnia de qui- arcæ.
bus ens vniuoce dicitur, ſunt vnum. Secũdò, dicitur vnum vnitate generis gene raliſſimi, & ſic omnia quę ſunt eiuſdem prędicamẽ

ti

ti ſunt vnum. Tertiò dicitur vnum vnitate generis vel ſpeciei ſubalternæ, & ſic omnia eiuſdem generis vel ſpeciei ſubalternæ ſunt vnum. Quartò dicitur vnum vnitate ſpeciei ſpecialiſſimæ: & ſic omnia indiuidua eiuſdem ſpeciei ſunt vnum. Quintò, vnum dicitur vnitate numerali, & ſic indiuiduum dicitur vnum numero. Sextò, aliquid dicitur vnum vnitate formali, qua vnus obiectiuus conceptus habet, quod abſque alio concipi poſſit, & ſi in tertio ſint ſimul, eo modo quo animalitas abſque rationalitate concipi poteſt, & ſi ambæ formalitates in homine ſint idem. Hæc autem vnitas (ſeu identitas) eſt omnium maxima inter reales. Maior autem vnitas infert minorem, ſed non è contra. Vnde quanto vnitas eſt ſuperior, tanto eſt minor, & è contrario: ergo quot ſunt rationes formales per ſe conceptibiles in homnine, tot ſunt in eo vnitates. Et quia vnitas eſt paſſio entis, quot ſunt in aliqua re vnitates, tot ſunt entitates: & è conuerſo. In homine autem ſunt hę entitates, animalitas, rationalitas, ſubſtantia, corpus animatum, &c. ergo in eodem tot ſunt ex natura rei vnitates. Nec eſt dicendum intellectum per ſuam operationem eas identitates aut vnitates cauſare, quia ſunt ante ipſius quamlibet operationem: & intelliguntur quia ſunt, non autem ſunt quia intelliguntur. Pręterea actus intelligendi dependet ab eis vt à cauſa: cauſa autem natura ſaltem præcedit effectum.

Notandum eſt interim vnum, & multa (ex 10. metaph.) opponi ſi reſpectu eiuſdem accipiantur, quia vbi reſpectu diuerſorum acciperentur, non opponuntur: ſi enim Petrus eſt vnum numero, non poteſt eſſe plura pluralitate numerali, ſed poſſunt eſſe aliqua duo ſpecie vnum, vt Petrus &

Ioannes qui ſunt plura numero. Omnia etiam entia ſunt vnũ vnitate tranſcendenti, ſed tamen plura ſunt: pluralitate generica, & ſpecifica, & numerali.

Ens diuiditur in ens cauſabile & incauſabile.

CAPVT XV.

ENS reale iterum diuiditur in ens cauſabile, & in ens incauſabile. Incauſabile dicitur cui repugnat cauſas habere, ſicut eſt Deus vnus in eſſentia & trinus in perſonis: quæ perſonæ, nimirum Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus cauſas quoque ignorant, quia cauſa ſaltem natura præcedit effectum, nihil autem ipſas præcedit diuinas perſonas. De quibus B. Auguſti. tom. 3. libr. de doctrina Chriſtiana. cap. 5. Res quibus fruendum eſt, ſunt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, eademque Trinitas vna quædam res eſt & ſumma. Dicens res quibus fruendum eſt docet plures eſſe perſonas, vt catholicè confitemur, & habetur in ſymbolo D. Athanaſij. Alia eſt perſona Patris, alia Filij, alia Spiritus Sancti. Et cùm addit, eademque Trinitas, vna ſumma res eſt. Innuit vnicam in eis eſſe naturam ſeu eſſentiam: ergo eſſentialiter vnicum eſt ens incauſabile, nempe Deus: ſed perſonaliter ſunt tria, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Ens cauſabile, eſt quod ſui aliquam habet cauſam, vel cui eam non repugnat habere, cuiuſmodi ſunt omnia creata à Deo aliena.

Brul. Diuiſio 6. entis.

Cauſa apud Ariſt. eſt, ad cuius eſſe aliud ſequitur. Quę deſcriptio ſic intelligi debet: Cauſa eſt ad cuius eſſe abſolutum, exiſtentiæ vel intentionale

aliud ſequitur: ſequutione, quæ eſt ſecundum cau ſalitatem.

Diximus ad cuius eſſe abſolutum, quia cauſa & effectus pro reſpectiuo & ſignificato formali, sũt relationes quæ ſimul accipiunt eſſe & perdunt, quia relatiua ſunt ſimul natura: At verò pro materiali, cauſa eſt fundamentum, & effectus eſt terminus relationis quæ dicitur cauſa: Ipſum autem fundamentum habet eſſe abſolutum, quod prius eſt ſuo termino. Exempli gratia, Pater & Filius pro formali ſunt ſimul natura: Ergo vnum non eſt cauſa alterius, ſed Ioannes qui eſt fundamentum paternitatis, eſt prior Petro filio. Addidimus ad cuius eſſe exiſtentiæ vel intentionale, quia quãdoque tantum ad eſſe cauſæ finalis intentionale, ſequitur effectus, qui prior eſt in eſſe exiſtentiæ quam ſua cauſa finalis: quæ licet prior ſit in intentione, tamen poſterior eſt in executione. Verbi gratia, Finis propter quam fit domus eſt habitatio: domus autem prior eſt ipſa habitatione. Dictum eſt etiam ſequela quæ eſt ſecundum cauſalitatem: nam ad eſſe vnionis corporis & animę, ſequitur eſſe humanitatis: tamen illa vnio non eſt cauſa humanitatis, niſi fortè cauſa ſine qua non (quæ tantum eſt obſtaculi remotio) & concomitans. Relatio enim (vt eſt vnio illa) non poteſt eſſe cauſa alicuius abſoluti. Sequutio autem quæ eſt ſecundum cauſalitatem, eſt quòd ad eſſe abſolutũ alicuius, alterius eſſe ſequatur.

Cauſarum autem alia efficiens, alia finalis, alia formalis, alia materialis: Efficiens eſt, à qua primò ſit motus vt aliquid fiat. Finalis, eſt cuius gratia aliquid fit. Formalis, eſt quę dat eſſe rei, & per quẽ ſit ipſa res. Materialis eſt, ex qua aliquid fit. Harũ

duæ

duæ intrinſecę dicuntur, formalis nimirum & materialis, quæ compoſitum conſtituunt & in illud intrant, vt corpus & anima cauſæ ſunt hominis intrinſecæ, quia eum phiſicè conſtituunt. Aliæ duæ, videlicet efficiens & finalis, extrinſecæ dicuntur, quia in effectum non ingrediuntur ad eius compoſitionem.

Aduertendum eſt tamen multum diſcriminis eſſe inter eſſe alicui intrinſecum, & de eius intrinſeca ratione. Nam quęcunque de intrinſeca ratione ſunt, intrinſeca dicuntur, ſed non è contra. Illud enim iſto eſt latius, nam eſſe de intrinſeca ratione alicuius, eſt eſſe de eius eſſentiali diffinitione, veluti Metaphiſicę, de intrinſeca ratione hominis ſunt animal & rationale. Sed aliquid eſt alteri intrinſecum, quod eius non ingreditur diffinitionem, licèt enim materia & forma dicantur compoſito intrinſeca, non tamen ſunt de eius ratione intrinſeca: idē dico de omni parte integrante, totius reſpectu. Paſſiones quoque ſuo ſubiecto cui realiter identificantur, vt homini riſibilitas intrinſecæ ſunt, ſed nō de intrinſeca ratione. Accidens quoque ſubiecto cui inhæret, intrinſecum eſt: cùm illud intrinſeca denominatione denominet, non tamen (ſicut nec pars integrās totius eſt) de eius intrinſeca ratione.

Notādum eſt autem, quòd res quædam à 4. cauſis ſunt cauſabiles, vt homo, lapis, & cætera corporea: aliæ ſunt à duabus cauſis tantùm cauſabiles, vt Angeli, animæ, virtutes, ſcientiæ, albor, & generaliter omnes ſubſtantię creatæ ſpirituales, & accidentia quibus repugnat componi ex materia & forma. Illa enim ſolum Deum cauſam efficientem habent, à quo omnia facta ſunt, & eundem cauſam finalem, qui propter ſe omnia fecit: nā omne agēs,

agit

agit propter finem. Itaque Deus propter ſe, tanquam propter excellentiſſimum finem omnia fecit. Non tamen omne agens cognoſcit finem propter quem agit: ſed ſolum agens liberum, vt Deus, Angelus, & homo, qui de rebus agendis deliberare poſſunt, antequam in actum exeant: ſicut poterat Deus mundum non creare quando illum creauit, & Deo adhærere Angelus qui peccauit, homo quoque à fructu vetito abſtinere. Experimur quoque nos quædam facere, alia verò omittere, ex ſola voluntatis electione. Et vt habet Cicero Offic. 1. de multis deliberamus, quòd inutile foret ſine libertate. Deus ergo, Angelus, & homo, habẽt finem in intentione propter quem agunt. Sed alia ſunt agentia non libera, ſed naturalia, quę appetitu ſenſitiuo (ſi animalia ſint) vel certè naturali tantum (ſi ſint ſine ſenſu) quæ agunt propter finem, à ſe non intentum neque cognitum, ſed à Deo & natura ſolùm. Bòs enim comedit vt nutriatur, quod non cognoſcit: Lapis verò deorſum & leue ſurſum tendunt, cùm tamen cauſam ignorent.

Diſtinguenda eſt igitur illa maior, Omne agens agit propter finem, à ſe, vel à Deo & natura intentum.

Agens verò quoddam dicitur per ſe, quod virtute ſuæ formæ eſſentialis effectum producit, vt ignis per propriam ſuam formam ignit. Aliud dicitur per accidens quòd non per propriam formã, ſed per quoddam ſibi accidens coniunctum aliquem producit effectum: ſic ignis calefacit mediãte calore ſibi inhærente accidentaliter, licèt ſit propria paſſio phiſica, ſic aer per ſe (quia mediante ſua forma ſubſtantiali) conuertit aquam in ſe, ſed per accidens humectat: quia virtute ſuæ phiſi-

cæ

eę paſſionis, humiditatis quæ ſimpliciter eſt illi accidens.

Alio modo dicitur agens per ſe,& agens per accidens, ſed hoc tantum in agentibus liberis, ſic agens dicitur per ſe, quod agit reſpectu finis à ſe intenti, veluti fodiens vt aquam inueniat, dicitur agens per ſe reſpectu illius aquæ intentæ. Si verò theſaurum inueniat,illud erit per accidens, ſic dicetur agens per accidens, quia non intendebat illum reperire theſaurum, quique non erat finis à ſe intentus.

Finitum diuiditur in ſubſtantiam & accidens.

CAPVT XVI.

ENS finitum iterum diuiditur in ſubſtantiam & accidens. Septima entis diuiſio.

Subſtantia autem dicitur à ſubſtãdo vel à ſubſiſtendo. Subſtare, eſt accidentis eſſe ſubiectum: Subſiſtere verò, eſt per ſe exiſtere. Deus hoc modo ſubſtantia eſt, qui in nullo & per ſe exiſtit, ſed non primo, quia Deo nihil hærere poteſt. Subſtãtia à ſubſiſtẽdo, dicitur tribus modis: vno modo ſumitur, pro eo quod per ſe exiſtit, & à ſe, & ad ſe: ſicque nomen ſubſtantiæ nulli cõpetit alij à Deo qui eſt per ſe, non in alio: & à ſe, cũ à nullo ſuum accipiat eſſe. Quinimò eſt de ſe ſuũ eſſe, vt patet Exo. 3. Ego ſum qui ſum: & qui eſt, miſit me ad vos. Inſuper omnibus alijs eſſe dedit per creationẽ, Gen. 1. Ipſe.n. habet eſſe per eſſentiã creaturæ per participationẽ. Eſt etiam ad ſe, quia cũ ſit ens abſolutiſſimũ, ad nihil refertur. Secũdo modo dicitur quę p ſe exiſtit, & ad ſe, ſed nõ à ſe. Hoc mo-

Sirec. art. 1. Ti 6b. art. 1.

do, Omne illud quod eſt in prædicamento ſubſtantiæ, incipiendo à genere generaliſſimo, vſque ad indiuidua incluſiuè, eſt ſubſtantia.

Tertio modo dicitur ſubſtantia ad ſe, ſed non à ſe, neque per ſe: vt formæ ſubſtantiales, quæ ad nihil referuntur (niſi fortè accidentaliter) & ideo ſunt ad ſe: non tamen ſunt à ſe, quia à Deo creatæ, neque per ſe, quia ſunt in alio, ſicut pars in toto, eodem modo brachium vel aliud membrum eſt in corpore, videlicet ſicut pars ſubſtantiæ eſt in ſubſtantia: & ne cui viderentur tales ſubſtantiæ partes accidentia eſſe, quod in alio ſunt; dicitur accidens eſſe in ſubiecto per inhærentiam forma ſubſtantis in materia per informationem, brachium verò in corpore per integrationem.

Quando autem diuiditur ens in ſubſtantiam & accidens, accipitur ſubſtantia ſecundo modo. In propoſito ens dicitur per ſe, quod non eſt in alio per inhærentiam (vt ſatis patet ex dictis) & non illud quod eſt actu exiſtens. Nam quod eſt in prædicamento ſubſtantiæ, non eſt ſemper exiſtens: quinimò, omne quod eſt in aliquo prædicamento, abſtrahit ab actuali exiſtentia: Ratio eſt, quia ens per accidens in nullo prædicamento poteſt reponi. Ens verò exiſtens eſt vnum per accidens eo modo quo albor intenſus: at albor intenſus in nullo prædicamento reponi poteſt, quia intenſionem illam includit quæ non eſt de eius quiditate: Sic dicendum de ente exiſtente, quòd includit exiſtentiam à ſua alienam quiditate, ſicque in nullo eſt prædicamento. Concludo ergo, per ſe exiſtere quod diſtinguitur contrà ens in alio per inhærentiam. Inhærere autem alicui, eſt

dare

dare eſſe ſecundum quid alteri enti, aliàs ſimpliciter priori, vt docet Scotus queſt. 3. quodlib. Nihil autem quod eſt in prædicamento ſubſtantiæ, alteri inhæret: ergo eſt per ſe, iſta conſideratione. Accidens verò duobus modis conſideratur, Primò omne illud quod alicui conuenit, nec eſt de eius quiditate, aut eſſentiali diffinitione, accidens dicitur. Sic dicuntur accidentia (ſed metaphiſica quod à principijs intrinſecis, nempe genere & differentia, fluant) propriæ paſſiones. Item omne inferius ſuo accidit ſuperiori, quòd de ius non ſint diffinitione. Secundò ſumitur accidens pro eo quod accidentaliter alterum perficit iam in ſe, & in ſuo eſſe completum. Et illud eſt quod diffinit Porphyrius capit. de accidente, quòd adeſt & abeſt præter ſubiecti corruptionem. Et hoc modo ſumitur accidens, quando ens diuiditur in ſubſtantiam & accidens. Iſtud accidens dicitur phiſicum, quia eſt quædam forma uel priuatio formæ quæ alter inhæret, vt albor: vel per modum inhærentis ſe habet, vt cæcitas. Terminus verò dicitur accidens logicum, quia de ſubiecto contingenter prædicatur. Exempli gratia, Forma quæ eſt albor, eſt accidens phiſicum. Terminus verò album, qui de ſubiecto contingenter prędicatur, eſt accidens logicum. Hoc interim accidens contra ſubſtantiam diuiſum, de nouem prædicamentis enunciatur.

Res à Reor reris, & à Ratus, rara, ratum, dicitur: & ens per conſequens cùm ſynonima ſint ſi accipiantur vniformiter.

CAPVT XVII.

Nominis Res etymologia, quæ facit octauá entis diuiſioné.

RES, & ens, vniformiter accepta, ſynonima ſunt: Nam quicquid eſt ens, ipſum quoque res eſt: & eo modo quo aliquid eſt ens, eo modo res eſt: tot ſunt enim rei diuiſiones quot entis. Ens eſt participium præſentis temporis, verbi ſubſtantiui ſum. Res verò dicitur quãdoque à reor reris, quod eſt opinor opinaris: ſæpe item à Ratus, rata, ratum adiectiuo nomine, non participio, verbi dicti reor (alias nulla eſſet ſequens diuiſio cùm idem eſſet res: vel ens à Reor reris, & à Ratus, rata, ratum, cùm eiuſdem ſint ſignificationis verbũ, & à ſe deriuatum participiũ) idem ſignificante atque Firmus, firma, firmum. Ratus autem verbi Reor participium, ſignificat opinatus, ſicut Reor opinor, in ſignificatione actiua, & tempore præterito. Ratus verò nomen neque actionem, neque tempus aliquod connotat. Ens Ratum ex Doct. ſubt. diſt. 36. 1. Sent. q. vnica, & Fontano in appẽdice vocabulorum, & Trombeta art. 1. (quanquam aliter videatur docere Sirectus) eſt quod habet firmum ac verum eſſe exiſtentiæ, vel cui non repugnat habere, vt homo, lapis, & cętera huius generis: quæ vel illud eſſe ratum à Deo accipiunt, à quo ſunt quod ſunt, vel ex ſeipſis habent, cùm non repugnet illis id verum eſſe habere, quod non habent. Itaque Antichriſtus, qui nondum eſt, ens ratum eſt, quia ei exiſtere non repugnat: ſic homo exiſtens, Chimæra ſpinx, & cætera

Fontanus in appẽd.

figmen-

ſigmenta, entia rata non ſunt, quia contradictio eſt ea exiſtere. Sunt tamen entia à Reor reris, quia ea noſter intellectus imaginatur, & (ſaltem quo ad partes) opinatur. Eſſe interim eſſentiæ, eſt illud quod dant prædicata eſſentialia: eſſe exiſtentiæ eſt prorſus idem, niſi quod connotat rem eſſe extra cauſam ſum, & actu exiſtere in rerum natura. Illud enim eſſe quod habuerunt creaturæ ab æterno, eſt tantum eſſe cognitum & poſſibile, & non eſſe eſſentiæ aut exiſtentiæ. Res ergo rata, non diſtinguitur à figmentis, per aliquod eſſe eſſentiæ aut exiſtentiæ, quod ab æterno habuerit: ſed tantum ex hoc quod tali rei non repugnat exiſtere, quod repugnat figmento: Verbi gratia, Humanitas in Antichriſto eſt ens Ratum à Chimæra, eo ſolo diſtincta, quod humanitati in ipſo Antichriſto exiſtere non repugnat, ſed Chimæræ. Ens Ratum ex Scoto diſt. prædicta, eſſe eſſentiæ vel exiſtentiæ à Deo habet, & ſic non eſt à ſe Ratum, ſed ab efficiente, ſed ex ſe habet vt à figmentis diſtinguatur, quæ eſſe non poſſunt. Trób. art. 2.

Quod ſi dicas, non eſt ens Ratum quod non poteſt diffiniri, Concedo: Etſi dicas Antichriſtus non eſt, ergo diffiniri non poteſt, & ſic non videtur ens Ratũ contra determinata. Nego has duas nouiſſimas cõſequẽtias, quia diffinitio eſt tantũ diſtincta cognitio diffiniti, ſecundum omnes partes eius eſſentiales, quæ poteſt eſſe alicuius in actu nõ exiſtentis. Poſſũ.n. ſcire duo Antichriſti eſſẽtialia, nẽpe animal & rationale, & ea ſimul cõponere, & ſic eũ diffinire qui futurus eſt. Neq; ſequitur, Antichriſtus diffinitur, ergo ipſe eſt: ſequitur tñ, ergo Antichriſtus cognoſcitur quò ad eſſẽtialia: ſic nõ ſequitur, Deus omnia cognouit ab æterno, ergo Scotus 1. Sent. d. ſ. 36. q. vnica.

omnia ab æterno habuerunt eſſe: ſequitur tñ, ergo ab ęterno habuerunt eſſe cognitũ, vel à Deo cognitæ fuerunt, & ſic habuerũt eſſe poſſibile, quod non habet Chimæra: nam quia Deus res ab æterno nouit, poſſibiles fuerunt. Dedit enim illis Deus illud eſſe poſſibile, ſua cognitione.

Memineris interim (candide Lector) duobus modis à Scoto 1. Sentent. diſtinct. 36. quæſt. vnica, vbi ſupra, accipiens ratum ſemel vt à figmentis diſtinguitur, & ſic ſemper loquuti ſumus. Alio modo pro eo quod eſt extra ſuam cauſam: & ſic loquitur Sirectus, cùm dicit ens ratum ſemper eſſe cum exiſtentia actuali.

Ens diuiditur in ens ſimpliciter, & in ens ſecundum quid.

CAPVT XVIII.

Nona entis diuiſio, parum à pręcedente diſtis.

VNIVOCA diuiſione, Ens totum diuiditur, iterum in ens ſimpliciter, & in ens ſecundum quid. Et hæc diuiſio, eadem eſt cum præcedente, eo ſolo excepto, quod ſub neutro horum duorum membrorum comprehenduntur fictitia: Nam hoc modo, ens eſt ſimpliciter, quod eſt actu exiſtens. Ens verò ſecundum quid illud eſt, quod licet non actu exiſtat, tamen exiſtere poteſt; ſicut eſt Roſa proximo anno futura, quæ eſſè poſſibile habet, quod à Deo ab æterno fuerit cognita, cùm eſſe poſſibile ad eſſe cognitum conſequatur. Res enim poſſibiles ſunt, quia à Deo cognitæ fuerunt. Fictitia verò (vt dictum eſt) neutrum habent eſſe neque cognitum, neque poſſibile (& per con-

conſequens, entia non ſunt ſecundum quid ad iſtum ſenſum) ſed tantum habent eſſe imaginarium. Secundæ intentiones, & omnia entia rationis, non habent illud eſſe ſecundum quid, quia poſſent ab aliqua cauſa produci in eſſe reale, ſed habent eſſe rationis tandiu durans, quandiu durat operatio potentiæ collatiuæ.

Quid ſit ens in potentia, & ens in actu: & de multiplici potentia, & multiplici actu.

CAPVT XIX.

ENS ſæpe diuiditur in ens, in potentia, & in ens in actu, quæ diuiſio, eadem eſt penitus cum præcedente: eo ſolo excepto; quod termini mutantur, vt eorum valdè notãda vis intelligatur. Etenim quòd nuperrimè diximus ens ſecundum quid, nunc vocamus ens in potentia: & quod ens ſimpliciter appellauimus, nunc dicimus ens in actu. Duplex eſt ergo potentia, & duplex actus: Eſt enim potentia obiectiua, cui reſpondet actus exiſtentiæ, & potentia ſubiectiua, cui reſpõdet actus formalis. Ens in potentia obiectiua, illud dicitur, quod in rerum non exiſtit natura, ſed poteſt obiectum eſſe alicuius potentiæ, & ab ea produci. Et vocatur à Commentatore 9. metaph. commento 7. ens ſecũdum quid ad ſenſum nuperrimè dictũ. Ens in actu eſt, quod habet actualem exiſtentiam in re & in effectu, dictum prius ens ſimpliciter. De potentia obiectiua & actu exiſtentiæ, intelligitur illud Ariſtot. 9. metaph. tex. com. 13. Potentia & actus ſunt eiuſdem generis, ſortes enim in potentia obiectiua non di-

Decima entis diuiſio nouiſſima. penitus eadẽ & niſi mutatione terminorũ, ut eorũ uis cognoſcatur indiſtincta.

 ſtin-

ſtinguitur numero à ſeipſo in actu, quia idem eſt ſortes qui nunc eſt,& qui erat futurus, antequam in matris vtero formaretur: Et ſic potẽtia & actus non ſolum, ſunt eiuſdem generis, immò eiuſdem ſpeciei,& numeri,vel indiuidui.

Ens verò in potentia ſubiectiua, eſt illud quod poteſt aliquam ſuſcipere formam, ſiue ſubſtantia lem,ſiue accidentalem quam nondum habet, & il lud eſt in actu formali,quod illam habet formam.

Duplex eſt interim potentia ſubiectiua, pura, & non pura;materia prima (vt ſunt Ariſt. ipſiſſima verba 7.metaph.tex.com.8.) eſt in pura potentia, quia quacunque ſpoliatur forma, & quemlibet ſuſcipere poteſt. Materia ſecunda eſt in potentia, ſed non pura, cùm aliam habeat formam, ad eam formam quam ſuſcipere poteſt:ſic cadauere homi nis, eſt in potentia ſubiectiua, ad ſuam animam quam poteſt illi Deus reſtituere,& eam poteſt iterum reſumere (vt fiet in generali reſurrectione) ſed non eſt in potentia pura, quia adhuc formam corporeitatis habet: ſic homo phiſicæ expers, vel Theologiæ, eſt ad eas in potentia ſubiectiua non pura (cùm ſubſtantialem & alias accidentales habeat formas) quas cùm habuerit erit in actu formali.Loquendo de iſta potentia ſubiectiua & actu formali,potentia & actus non ſunt eiuſdem generis, quia ſæpe potentia eſt ſubſtantia & actus accidens,vt patet de intellectu & intellectione, de ſorte & ſua ſcientia,de potentia ſenſitiua, & actu ſentiendi.Notandum eſt interim, eandem rem reſpectu diuerſorũ eſſe in potẽtia ſubiectiua, & in actu formali:nã homo reſpectu alicuius concluſionis, habitus quẽ habet, eſt in actu formali, & reſpectu alterius quẽ non habet, eſt in potentia ſubiectiua.

Ens reale totũ iterum diuiditur in ſimplex & cõpoſitum.

CAPVT XX.

TOTVM ens reale, adhuc diuiditur in ſimplex & compoſitum. Simplex autem dicitur multis modis, & tot modis compoſitum. Nã quod modis dicitur vnum oppoſitorum, tot modis dicitur & reliquum. Primo modo dicit aliquid ſummè ſimplex, quod non eſt cõpoſitum, nec componibile. Et ſic ſolus Deus eſt ſummè ſimplex: omne verò aliud ab eo, dicitur hoc modo cõpoſitum. Notandum eſt tamẽ, Deum quandoque dici ſimpliciter ſimplex, ſed tunc ſimpliciter ſimplex idem ſignificat, ac ſummè ſimplex: & opponitur compoſitioni & componibilitati, nõ multiplicitati rationum formaliũ, de qua poſtea dicetur. At verò obijci poteſt, Vbi eſt pluralitas aliquorum, ibi eſt compoſitio: ſed in Deo eſt pluralitas formalitatum & conceptuum (vt pote entis attributorum & relationum) ergo in eo eſt compoſitio. Reſpondeo maiorem illam eſſe veram, quando illa plura ita ſe habent, quod vnum eſt actus, & alterum potentia. Nam ex 8. metaph. Compoſitum eſt ex actu & potentia: iſti autem conceptus qui ſunt in Deo ſunt actualiſſimi, & nullus illorum eſt potentialis ad alium, ſicut materia ad formam, & anima ad ſcientiam & virtutem. Vndecima entis diuiſio.

Inſtatur ſaltem iſta multitudo formalitatum, faciet vnum vnitate aceruі vel cumuli, & ſic erit ſemper aliqua compoſitio.

Reſpondeo, vnum vnitate acerui habere in ſe componentia realiter, & eſſentialiter diſtincta, vt aceruus lapidum. Nulla autẽ eſſentialis diſtinctio

eſt

eſt in Deo, ſed iſte realitates iſta ſe habent, quod vna eſt eſſentialiter alia,& ſic non faciunt vnum tali vnitate aceruí: Remanet ergo ſolus Deus nec cõpoſitus nec componibilis.

Simpliciter ſimplex.

CAPVT XXI.

SIMPLICITER ſimplex facit ſecundum modum ſimplicitatis: Illud autem tale eſt, quod in alios conceptus priores reſolui non poteſt: quorũ quilibet poſſit actu ſimplici concipi diſtinctè,vt ſunt ens & paſſiones eius modi intrinſeci, differentiæ ſpecificæ & materiales. Illi enim conceptus non habent alios priores qui de illis pręd icentur quiditatiuè,ſicut ſuperius de inferiori, licèt de illis prædicetur ens tantum denominatiuè,& non quiditatiuè realiter, & non formaliter. De hijs ſimpliciter ſimplicibus eſt intelligenda Ariſt.9.metaph.tex.com.vltimi ſententia. Circa quiditatem ſimplicem non contingit error,quia totaliter ſcitur,aut totaliter ignoratur, quia non habet plures conceptus, quorum vnus ſciri poſſit & alter ignorari. Non ita eſt de homine:Poſſum enim ſcire Petrum eſſe hominem, & ſi neſciam eum eſſe ſubſtantiam,aut corpus, &c.Debet autem intelligi diffinitio conceptus ſimpliciter ſimplicis, quo ad conceptum formalem & ſuperiorem, non quo ad quoſdam accidentales conceptuş qui denominatiuè de iſtis conceptibus prædicantur vt rationale eſt riſibile, & riſibile diſputat. Debet etiam intelligi quò ad conceptus reales, & non quò ad conceptus aliquos ſecundarum intentio-

tentionum, qui poſſunt per accidens & denominatiuè prædicari de conceptibus ſimpliciter ſimplicibus: quia poſſum ſcire rationale eſſe hominem, nec tamen ſciam rationale eſſe differentiam.

Omnia autem quæ ſupra ſe habent prædicata quiditatiua, quę eſſentialiter in ſuo eſſe includunt, ſunt compoſita compoſitione, iſti ſimplicitati oppoſita.

Compoſitio ex realitatibus potentiali, & actuali.

CAPVT XXII.

TERTIO modo illud dicitur ſimplex, quod non eſt compoſitum ex realitate generis potentiali (per analogiam ad materiam & formam in compoſito phiſico) & realitate differentiæ actuali, ſicut omnes conceptus ſimpliciter ſimplices, de quibus nunc accepiſti. Ex oppoſito compoſita dices, quæ ex realitate generis & differentiæ, vel ex ente & modo intrinſeco metaph. componuntur. Et ſic omnes conceptus qui non ſunt ſimpliciter ſimplices componuntur, vt homo ex animalitate & rationalitate, albor ex ſuo genere, & ſua differentia, Angelus ex realitate generis ſubſtantię & differentiæ inanimatæ: ſic anima, vt conſideratur abſolutè velut aliqua ſubſtãtia inanimata circunſcripta informatione (nam ſi conſideretur pro vltima ſui realitate tanquam pars hominis, ſic eſt hoc modo ſimplex & in nullo prædicamento, niſi reductiuè, eſt quæ ſpecies tantum prædicabilis) idem dico de omni forma ſubſtantiali & de materia prima, quæ pro ſua vltima realitate, vt eſt pars, eſt tantũ ſpecies prædicabilis & in prædica

mento

mento reductiuè tantum. Tamen vt eſt, quoddam abſolutum, quod abſque forma exiſtere poteſt, certum habet ordinem in prædicamento ſubſtantiæ, in quo habet genus & differentiam, ex quibus metaph. componitur. Hæc innituntur verbis Ariſt. 7. metaphiſic. tex. com. 7. qui dicit ſubſtantiam ſumi pro materia, & pro forma, & pro compoſito: ex eis ergo de mente ipſius materia eſt ſubſtantia, & forma eſt ſubſtantia. Addit quoque primum ſubiectum maximè eſſe ſubſtantiam, poſtea dicit illud primum ſubiectum eſſe materiam. Clarum euadit, magis eſſe differentiam inter hanc compoſitionem & præcedentem, & inter vtranque ſimplicitatem, ratione terminorum, quàm ſenſus. Quò factum eſt vt immediatè vnam alteri ſubiunxerim: neglecto ordine ab alijs obſeruato, vt ſæpe mihi contigit: non tamen citra rationem, nec abſque conſideratione.

Compoſitio ex re potentiali & re actuali ſeu ex materia & forma.

CAPVT XXIII.

SIMPLEX quarto modo dicitur, quod ex re & re, hoc eſt ex materia & forma non eſt compoſitum, vt ſunt omnes formæ ſubſtantiales, vt anima rationalis in homine, ſenſitiua in bruto, vegetatiua in planta: omnia denique accidentia, vt ſcientia, virtus, albor: omnia denique Angelorum cuiuſcunque hierachiæ, aut ordinis, aut ſpeciei, indiuidua ſeu ſingularia. Compoſitum verò, eſt oppoſito modo, quod materiam & formam habet tanquam ſui principia conſtitutiua, vt omnia indiuidua ſubſtantię corporeæ ſiue animatæ ſiue inanimatæ.

Angeli non ſunt corporei, qui plures in eadem ſpecie eſſe poſſunt: quæque ab anima ſpecie differunt.

CAPVT XXIIII.

PLVRES tamen dixerunt Angelos eſſe corporeos, ſed cum natura nihil agat fruſtrà, ex 1. de Cęlo tex.com.32. & 3. de Anima. tex.com.45. & paucioribus ſit cōtēta ex 1. phi. tex. com. 41. & cùm nulla ſit neceſſitas ponendi in Angelis materiā, non tenetur à ſacrę theologię peritis eorū opinio. Non enim in eis ponēda eſt materia, propter potentiam paſſiuum, ad ſuſcipiēdas intellectiones & volitiones, quia intellectio & volitio non ſuſcipiuntur in materia, ſed in intellectu & voluntate, quę ſunt potentię merè ſpirituales: neque propter potentiā ad vbi, quod tranſmutari poſſint de loco ad locum; cùm fide teneamus animas à corporibus ſeparatas, de loco in locum migrare, quas tunc corporeas nemo dixerit animo ſanus. Neque propter potentiam ad annihilationem: poteſt enim Deus ex ſimpliciſſimo voluntatis actu, omnia à ſe creata in nihilum redigere. Trób. art. 1.

Boetius tñ in fine libelli ſui de vnitate & vno, ca. 2. dicit, Angelum & animam eſſe vnum coniunctione materiæ: Quod eſt intelligēdum, Angelum eſſe vnū numero per ſuam differ etiā materialē, de qua intelligitur Ariſt. ſentētia 7. metaph. ca. de partibus diffinitionis. Materia eſt principiū īdiuiduationis: anima enim & Angelus, & homo, & quodlibet indiuiduum eſt vnum numero per differentiā ſuā materialē, & numero differunt Angelus & anima, per eandem differentiam materialem. Item duę animę inter ſe & duo Angeli, ſiue eiuſdem ſpeciei, ſiue diuerſarum. Loquendo ad mentem Doctoris ſub-

tilis

tilis lib.2.ſent.diſt.3.q.7.vbi ex profeſſo docet, Angelos plures eſſe poſſe in eadem ſpecie. Si enim ſit aliqua natura incommunicabilis maximè eſt diuina,quæ tamen tribus perſonis communicatur:ergo à maiori Angelica natura pluribus communicatur tanquam ſpecies ſingularibus. Angelus verò & anima ſpecie differunt, vt docet Scotus 2.ſent.libr. diſt.1.q. 6.quòd anima ſit perfectio corporis organici potentia vitam habentis,Angelus autẽ nullius materię ſit perfectio. Nec obſtat quod non ſint diuerſę ſpecie Angeli & animę operationes, & obiecta ſuarum potentiarum, vtpote Angeli volitio & animę, vel intellectio aut recordatio: quia non inconuenit eiuſdem ſpeciei eſſe hominis & bruti viſionem alicuius obiecti.Quod ſi dicatur, B.Auguſtinus lib.3.de Libero arbitrio, dicit Angelũ & animam eſſe natura pares,ſed officio impares.Illud eſt verum ad hunc ſenſum,quòd Angelus & anima pares ſunt reſpectu obiecti eſſentialis beatitudinis, quod eſt omnibus idem, nempe Deus omniũ beatorũ prę miũ eſſentiale:quia anima alicuius,vtpote B.Marię,aut D.Ioãnis Baptiſtę,poteſt tanta de Deo cõcipere,quãta Angelus ſeipſum dignet illi cõmunicare Deus.Officio aũt ſunt impares,q̃a anima nõ mittiẽ ad alterius animę cuſtodiã: nec in hęc ĩferiora ad diuina pertractanda myſteria, ſicut Angelus.

Quomodo Beatus Auguſtinus dixerit, Angelos eſſe corporeos.

CAPVT XXV.

DIVVS Auguſt. cap.1.libr. de Mirabilibus ſacræ Scripturæ dicit, quod Deus omnipotens ex informi materia cunctorum viſibilium,& inuiſibilium, ſenſibiliũ & inſenſibi-

ſenſibilium intellectu carentium, ſpecies multiformes dimiſit, ergo Angeli corporei videntur. Ad hanc authoritatem, dico dictionem illam inuiſibilium B. Augu. operi fuiſſe aditam. Hinc in voluminibus benè politis, Aſteriſco & Obelo notatur.

At verò idem B. Auguſt. lib. 3. in Gen. cap. 4. dicit dæmones eſſe animalia aerea, quia corporum aereorum natura vigent: ergo videtur eſſe eius opinio, nam ipſe vt eam tueatur, reſpondet ad faciendam obiectionem, quod ſi materiales eſſent, cùm materia ſit principium corruptionis, mori quandoque poſſent: quòd mori non poſſunt, quia in eis dominantur elementa aptiora, ad faciendum, quam ad patiendum, nempe ignis & aer: vbi autem ſunt elementa, ibi eſt materia, ergo videtur ita ſentire.

Reſpondeo, D. Aug. ibi docere Angelos bonos & malos hominibus apparere in corporibus aſſumptis quæ ſunt aerea & ignea, potius quàm aquea aut terreſtria: eo quod non ita facilè poſſet Angelus aſſumere corpus terrenum aut aqueum, atque aereum aut igneum. Magiſter ſent. lib. 2. diſt. 8. nobis in omnibus fauet, qui dicit, beatum Auguſtinum nunquam de Angelis ita ſenſiſſe, ſed illud aliorum recitando opinionem dixiſſe. Ille enim Platonicus fuit in philoſophia, eumdemque ſequitur Platonem in multis, vt in propoſito. Dicebat enim more Platonis loquens, cœlos eſſe igneæ naturæ, & viſionem fieri per radiorum extra miſſionem: quod eſt contra Ariſtot. 2. de Anima, qui docet viſionem fieri per ſpecies ab obiecto in potentiam demiſſas. Neque ſemper ſunt Patrum vt S. Boetij, & B. Auguſt. opiniones tenendæ, quando vt philoſophi loquuntur, & ea tractant quę non ſunt fidei: ſed vbi loquuntur vt ſancti, ambabus vlnis

eos debemus amplecti.

Interim vt omnibus ſatisfaciamus, quantuncun que tali opinioni addictis, dicimus aliquid corporeum eſſe duobus modis, Primò quod materiam habet tanquam ſui partem, & ſic Angeli corporei non ſunt. Secundò, quod eſt in loco diffinitiuè, hoc eſt ita in vno loco vt in alio non ſit, eo modo quo Angelus qui cum Iacob luctabatur Gen. 32. alibi non erat: & ſic Angelum dici corporeū non ęgrè feret, qui hæc ruminare dignabitur.

Angeli corpora aſſumere poſſunt, & qualia: Et quę in eis opera exercere poſſunt.

CAPVT XXVI.

Scot. lib. 2. d. 8. q. vni.

ANGELVM autem corpus aſſumere, non eſt illud informare, nec hypoſtaticè illud ſibi vnire, ſed tantum illius intrinſecum eſſe motorem, & eo ſicut inſtrumento vti, ad proprias explendas corporeas operationes. Poteſt enim in eo motum localem cauſare, vt patet de Raphaele, qui Tobiam conducebat: motum etiam inſpirationis & reſpirationis, motionem palpebrarum & manum, quia Angelus ſua virtute mouet manum illam quomodo vult, ſicut eam in tale corpus effinxit. Poteſt quoque linguam mouere & loqui, vt ſuos exprimat conceptus: ſed non audit nec uidet, nec aliquo modo ſentit, mediantibus organis talis corporis aſſumpti. Illæ enim operationes ſenſitiuæ, non ſunt natæ recipi, niſi in organo perfectè mixto, & in potentia ex realitate corporis & animæ compoſita. Illæ autem cognitiones, quas viden-

videntur in talibus corporibus habere ex particularibus factis,audiendo,vel videndo,non ſunt niſi meræ intellectiones, quas linguam mouendo & verba formando exprimere poſſunt.

Neque poteſt in aſſumpto corpore vegetatiuas exercere operationes,quia affectæ ſunt eſſe in corpore animato, quod non eſt ibi: non enim poteſt illud corpus nutriri, quòd viuum non ſit. Conneſtio enim quæ ibi apparet, non eſt niſi diuiſio cibi per motum maxillarum, & traiectio eius in ventrem. Cibus autem ille actiua virtute Angeli reſoluitur in humores vel elementa, nec digeritur. Quòd ſi videatur corpus illud augeri,non inde infertur ibi eſſe nutritionem:nam creſcit per appoſitionem cibi, vel alterius corporis elementaris, aut imperfectè mixti Angeli virtute adiuncti.

Neque generare poſſunt, cùm ex Ariſtot. 2. de Anima, capite quarto, generatio opus ſit naturaliſſimum viuentis, quo generat ſibi ſimile, Angelus autem ſibi ſimile producere nequit.

Ad omnes autem authoritates,quæ afferri poſſent, vt ex B. Auguſt. 1. de Ciuitate Dei, qui dicit, quod multi ſe expertos, & ab expertis ſe audiſſe confirmant,Syluanos & Faunos (quos deos ſyluestres vocabant Priſci, Recentiores verò plebei ſuccubos & incubos appellant) ſæpe improbos mulieribus extitiſſe, & earum appetiuiſſe & peregiſſe concubitum. Dicendum eſt cum D. Thoma, 1. parte q. 51. art. 3. Et Scoto diſt. 8. lib. 2. quæſt. vnica, quòd dæmones (abſit enim vt talibus villibus ſe immiſceant boni Angeli) in corpore aſſumpto, ſuccubi in fœminæ forma, ſemen à viro ſuſcipere poſſunt:idemque per accidentia, conuenien-

tia in ſua proprietate & calore naturali conſeruatum, incubi in mulieres transfundere, inde generatio ſequi poterit: filij tamen dæmonis non eſſent, ſed viri cuius fuerat ſemen.

Sed quia hæc materia tam fœda eſt, vt pias & caſtas offendat aures, eam ſub breuitate tranſcurro. Nonnihil tamen de illa erat dicendum, quia tot ſunt authoritates quæ dæmonibus tribuunt generationem, vt niſi hac ſola conſideratione, non poſſit ſufficienter ſatisfieri. Hæc tamen (ſi contigerit aliquem iuuentuti legere libros iſtos formalitatum) poterit conſultus quis omittere, quod ſaltem ſine pudore dici non poſſint.

Corpus autem quod aſſumit Angelus, non eſt cœleſte, nec elementare purum: nam cùm elementa (eo quod colore carēt & luce) inuiſibilia ſint ex ſe, à fortiori cœli ſunt inuiſibiles (niſi loquamur de aſtris quæ ſunt ſui orbis denſiſſimæ partes) Angelus autem corpus aſſumit, vt ſe videndum obijciat. Aſſumit autem corpus perfectè mixtum, vt cadauer mortui, vel lapidem, aut lignum, quod in formam diſponit humanam, & illud intrinſecè mouet. Quandoque verò aſſumit corpus, quod non videtur prius cauſatum à cauſis naturalibus, ſed quaſi tunc formari, & ſubito completa operatione diſparere, ſicut fuit de Raphaele Tobiæ 12. & de Samuele 1. Reg. 28. Si verè ſuſcitatus à Pythoniſſa, tunc dicendum eſt tale corpus quod tam ſubito formatur, & reſoluitur eſſe imperfectè mixtum: ſicut eſt exalatio vel nubes, vel nix, aut grando, &c. quæ ab Ariſt. in lib. metheororũ tractatur. Hæc enim virtute actiua Angeli ita diſponi poſſunt, vt accidentalem hominis præ ſe ferant formam: & cùm voluerit Angelus diſparere, in elementa

menta ſubito reſoluuntur, ex quibus immediatè fuerant creata: & tunc nihil videtur neque remanet talis corporis.

Cœli à propria forma non ab intelligentiis mouentur.

CAPVT XXVII.

CONVENIVNT in hoc omnes philoſophi & Theologi, quod orbes cœleſtes quotidiè moueantur ab oriente in occidentem, & ab occidente in orientem, ſuper polos zodiaci in temporis interuallo longiori. Hæc ipſa docet experientia, vt illud nagare ſit impudentię. Quomodo autem illud fiat, an ab extrinſeco motore, videlicet Angelo, an ab intrinſeco, nempe ab ipſorum propria forma, non ita notum eſt, cùm in hoc variæ ſint doctorum opiniones. Titelmanus lib.7.comp.rei naturalis cap.10. Dicit motum cęlorum effectiuè ab Angelis cauſari, qui ſua virtute corpora cœleſtia contingentes, ipſa ſecundum circulum volunt. Plato lib.4. de Legibus. Ariſt. 12. metaph. affirmant intelligentias mouere cœleſtes orbes, hanc tenēt ſententiam D. Thoma. p.1.q.51.art.3. & doctor ſubtilis in 4.d.49.q.14. D. Aug. lib. de Cognitione veræ vitæ dicit, Cùm cœleſtia corpora moueantur, conſtat quòd ab aliquo mouētur, reſtat igitur ea per Angelica miniſteria moueri. Ex his rationibus & authoritatibus videtur conſequi, Angelos eſſe corporeos. Nam quomodo aget ſpiritus purus materia in tale corpus, corpus in ſpiritum agere non poteſt, quomodo ergo ſpiritus in tale corpus? Hac data opinione, non inde ſequitur Angelos eſſe corporeos: quia

cœlos contingunt Angeli contractu virtuali non mathe matico: quó duæ ſuperficies ſe immediatè contingunt. Mouet autem cœlum non illud informando, ſed voluntate ſua & potentia executiua, ſicut docet D. Auguſt. lib. 3. de Trinit. quod poſſunt quo & quæcunque voluerit Deus, corpora transferre. Sicut legimus Danielis 14. quod Angelus apprehendit Abachuc in vertice eius, & portauit eũ capillo capitis ſui, à Iudæa in Babiloniam ad Daniel paſcendum, in lacu leonum, & confeſtim eum reſtituti in loco ſuo. Angelus quoque rapuit Philippũ Apoſtolum Act. 8. & inuentus eſt in Azoto. Diabolus concuſſit 4. angulos domus filiorum Iob, & corruit, liberoſq; ipſos oppreſſit. Cur non eadem virtute cęlos mouebunt? dices forſitam, illos hæc feciſſe in corporibus aſſumptis, & homines portaſſe, eo modo quo vnus noſtũ alium portaret: ſed quæſo quomodo, & per quod aliud corpus portatur illud aſſumptũ? nã graue erit ſicut illud quod portat: ergo oportet corpus Prophetæ & Apoſtoli, per corpora ab Angelis aſſumpta lata fuiſſe, illa verò aſsũpta per alia, & ſic ſine careret proceſſus. Tenendũ eſt ergo Angelos ſine corpore nec proprio (quo carẽt) nec aſsũpto (quo non vtũtur niſi pro operationibus ſenſitiuis ſimilibus) poſſe corpus eleuare, & ſic cęlos mouere, ſi illa ſit teneda opinio: q̃ qui tenẽt, dicunt Angelos mouẽtes eſſe de ordine Angelorũ qui dicunt virtutes. Multi tñ docti ab hac opinione diſcedũt, eò cõmoti, qđ nõ ſit deterioris cõditionis forma cęlorũ q̃ elementorũ: ſed elemẽta virtute propriç formæ mouẽtur, ergo à maiori cęli. Ariſtot. 2. phiſicorum ca. 1. Diuidit entia in naturalia & artificialia: Naturalia autem ſunt (inquit) animalia, plantæ, & cor-

Iob. 1. cap.

& corpora ſimplicia: veſtimentum autem, & lectu lus, & ſcamnum, ſunt ab arte. Auerroes in commẽ tarijs eiuſdem textus addit, Idolum & cętera quæcunque humana induſtria effinguntur: Cœlos autem diuina potentia firmatos fide tenemus: ergo naturales ſunt, cùm inſuper eis nihil ſit ſimplicius. Naturalia autem apud eũdẽ Ariſtotelẽ, habẽt in ſe principiũ motus & quietis cuiuſdã in loco, ergò cęli habẽt in ſe principium motus, quod nõ eſt agens liberũ, quia moueret pro ſua libertate: videmus autẽ cœlos regulariter moueri: ergo à forma propria, quæ ita agit vt illi vim cõtulit Creator. Lactãtius Firmianus lib. 2. aduerſus gẽtes cap. 5. dicit, Nõ eſt aſtrorũ motus voluntarius, ſed neceſſarius: & poſt pauca eodẽ capite, Ineſt (inquit) ſideribus ratio ad peragendos ſuos motus apta, ſed à Deo eſt illa ratio, qui & fecit & regit omnia, nõ ipſorum ſiderum quę mouentur: nam nihil eſt extra Deum, qui horum motum ita ſtabiliuit, nã natura ſua mouentur motu naturali: Hæc ille. Theodoretus quoque eos irridet, qui putant cœlos ab intelligentijs moueri. Reſpondeo, ergo D. Aug. & alios opinionem recitare philoſophorum: Ipſi enim non ſemper receſſerunt à doctrina philoſophorum (etiam ſi aliam opinionem haberent) in his quæ contra fidem non militant. Denique in cœlis duplex eſt motus, vnus ordinarius & naturalis à propria forma cauſatus, alius contra naturalem inclinationem, & extraordinarius, vt Ioſue 10. Ad poſtulationẽ ipſius Ioſue, ſteterũt ſol & luna. & 4. Reg. 20. Atque Eſaię 38. reuerſus eſt ſol decem lineis per gradus quos deſcenderat, in ſignum ſanitatis Ezechiæ, à Deo immiſſæ. Hoc fieri potuit ab Angelo: Poterat quidem Deus illud virtute propria efficere (quicquid

enim poteſt cum cauſis ſecundis poteſt per ſe ſolum) ſed eò ſuam volebat oſtendere maieſtatem.

Ad arguméta naturalia quæ fieri poſſent, quod motus naturalis velocior eſt in fine quam in principio, aut quòd motus naturalis fit à termino à quo ad terminum ad quem, & cætera talia: dico ea vera eſſe in eis quæ motũ recto mouentur non circulari, cuiuſmodi ſunt cœli. Sed paulò difficilius videtur iſtud, non poteſt eadem forma diuerſos & oppoſitos cauſare motus, ſed ipſa docente experientia, cœli mouentur oppoſitis motibus, ergo non videtur eſſe à forma. Reſpondeo primum mobile vnico motu moueri qui eſt à propria forma, ſed ipſe ſuo velociſſimo raptu omnes orbes infra ſe contétos rapit qui cum eo mouentur, ſed violenter & contra ſuã naturalem inclinationem: ſed à ſua forma mouentur, motu oppoſito contra nitẽdo. Motus ergo in eis qui dicitur raptus à primo mobili cauſatus, eſt violentus: ſed ille qui eſt à propria forma eſt naturalis. Manet ergo hæc nouiſſima opinio, multo priori veriſimilior.

Compoſitio ex 4. qualitatibus primis & ſimplicitas ei oppoſita.

CAPVT XXVIII.

SIMPLEX etiam opponitur mixto. Mixtũ autem eſt, quod admittit in ſe 4. peregrinas qualitates, quarum duæ caliditas & frigiditas sũt maximè actiuę, alię duę ſiccitas & humiditas minus, ſed maioris virtutis in reſiſtendo. Mixtũ interim duplex eſt, perfectum & imperfectũ: perfecta ſunt, quæ conſtantiorẽ, ma giſue

giſue determinatam habent naturam,vt animalia, plantæ,lapides, metalla: imperfecta minus cõſtantẽ,minorẽ quoque durationẽ, cùm facilius in elementa (ex quibus facilè generata fuerũt) reſoluentur. Huius generis sũt cometę,nubes,pluuia,nix, grando,&c.Simplicia verò (ait Ariſt.2. phiſic.c.1.) Quatuor elementa,quæ illas 4. qualitates nõ recipiunt, ſed tantũ duas, & quarũ vna eſt in remiſſioribus gradibus.Ignis.n.calidus eſt ſummè,& citrà ſummũ ſiccus: aer humidus in ſummo gradu, & calidus in remiſſiori;aqua ſummè frigida & humida in minori gradu:terra sũmè ſicca, & citra ſummũ frigida. Loquimur de elementis in ſua natura cõſideratis,nã vt nunc ſunt tẽpora,pro hominũ vita & nutritione,nihil ſunt quã mixta illis 4.primis qualitatibus. Ignis enim quẽ habemus mixtus eſt, quia nutrione eget: at verò in ſua ſphæra nutrimẽto non eget, in qua fortè ſaltẽ quò ad aliquas partes, eſt purus & ſimplex:aer quoque ſi purus reperiatur, quærendus eſt non in hac infima regione, aqua & terra,circa centrũ.Simplices quoque ſunt cœli,qui prædictas quatuor qualitates à ſe procul abijciunt. Hinc fit,vt extrinſecè ſint incorruptibiles (licet intrinſecè habẽt materiã eandem cũ materia elemẽtorum: quę ſemper machinatur totius deſtructionẽ: eſtque ſuſceptu alterius formæ ſi ſua ab agẽte naturali poſſet expelli)quia mixta corrumpuntur ex repugnantia prædictarũ quatuor qualitatũ.Cùm enim vna alteri dominatur,naturalem expellit formam,cui neceſſe eſt aliam ſuccedere, cùm via naturæ (vt dictum eſt) ſine aliqua forma materia eſſe non poſſit. Cùm ergo in cœlis nõ ſint illæ quatuor qualitates, non poteſt illic talis eſſe repugnantia; quo fit vt forma quæ ibi eſt

ſemper ſit per menſura, ideo non ſunt cęli finem habituri, niſi quò ad motum in iudicio generali. Quamuis non intendamus dicere tunc elementa finem habitura,ſed renouanda & repugnanda, & in ſuum ſitum & naturalem locum reſtituenda.

Compoſitio fit ex hiis & cum hiis.

CAPVT XXIX.

PRO clariori dictorum & dicendorum notitia, ſciēdum eſt in genere duplicem eſse compoſitionem,metaphyſicā & phyſicā:vtranque item eſse duplicem ex hijs & cum hijs: metaphyſicè homo componitur ex genere & differentia compoſitione ex hijs, differentia verò cum genere Phyſicè homo compoſitione ex his componitur ex materia & forma, ipſa verò forma, cum materia vel accidens, cum ſubiecto compoſitione cum his. Conſtituta enim dicuntur compoſita,ex his conſtituentia,cum his. Hæc autem compoſito præſupponitur ab illa, neceſſario priore. Omne ens creatum (ne ſimpliciſſimum Deum compræhendam, omnis compoſitionis expertem) compoſitum eſt compoſitione ex his,vel compoſitione cum his.Licet enim materia prima, Angelus,Anima,vel accidentia compoſitione ex his, phyſicè non componantur, ſunt tamen componibilia compoſitione cum his. Materia enim cum forma, Angelus & anima cum ſuis operationibus, accidentia cum ſubiecto componi poſſunt. Si enim eſſet aliqua natura non receptiua accidentis, maximè eſſet citrà Deum perfectiſſima, nempe Angelus: ſed Angelus cū accidente eſt com-

Scot. lib. 1. d. 8. q. 2.

compoſitus, alias eſſet ſeipſo beatus, nam ſecūdum Ariſt. vna quæque intelligentia beata eſt ſua intellectione, qua perfectiſſimum intelligibile intelligit obiectum: ergo ſi ſua intellectio ſit ſua eſſentia, & ſubſtantia non accidens eſſet ſeipſa beata, quod eſt apertè erroneum, cùm ſolus Deus ſit ſeipſo beatus. Secundò probatur, intellectus eſt totius entis, & ſecundum totum ambitum entis, ſed intelligibilia poſſunt eſſe infinita, ergo intellectio Angeli ſi ſit ſua ſubſtantia, erit vnica reſpectu infinitorum intelligibilium: ſed intellectio vnica infinitorum intelligibilium infinita eſt: quod probatur, duę intellectiones reſpectu duorum intelligibilium diſtinctæ, & perfectæ, ſunt duæ perfectiones: ergo ſi vnica intellectio eſt iſtorum duorum intelligibiliū, æquè diſtinctè ac perfectè atque ſi duæ eſſent, illa continet duas perfectiones: ergo alia quæ 10. aut 12. continet intellectiones, totidem continet perfectiones: & ſic quæ continet infinitas intellectiones, continet infinitas perfectiones. Nam vbi pluralitas arguit maiorem perfectionē quam paucitas, ibi infinitas arguit infinitatem: ſed ſic eſt in propoſito, ergo ſi Angelus ſit ſua intellectio, poſſet eſſe infinitus & ſic Deus, quia ipſe ſolus nullis terminis perfectionis limitatur.

Tertiò probatur, dato quod Angelus ſit ſua intellectio, ſequeretur intellectionem ipſius non dependere, niſi ab eo à quo dependet ſuum eſſe: & ita neque ſe, neque aliquod ſe inferius cognoſcere poſſet in genere proprio, ſed tantum in verbo, ergo Angelus componitur cum accidente. Cognitio autem (vt quæ dicta ſunt faciliùs intelligantur) duplex eſt: vna dicitur in genere proprio, quæ cauſatur ab obiecto, & potentia in debita diſtantia ap-

proximatis. Alia dicitur in verbo, de qua B.Aug. li. de Cura pro mortuis agenda cap. 15. dicit, Diuina reuelatione, cum Chriſto regnantes, in verbo velut in ſpeculo, clariſſimè vniuerſa contuentur: Eadem docet B.Greg. mag. 12. moral. cap. 14. Quantum verò ad compoſitionem ex his maior eſt difficultas, cùm variæ ſint doctorum opiniones: nam D.Thomas. p. 1. q. 3. art. 7. hanc habet ſententiam. Eſt autem hoc de ratione cauſati, quod ſit aliquo modo cōpoſitum, quia ad minus eſſe eius eſt aliud quam quod quid eſt: ex quo videtur ſequi ex mente ipſius, omnem creaturam compoſitam eſſe ex re & re, tanquam ex poſitiuo & poſitiuo, & hæc opinio videtur hac ratione probari. Omne quod eſt, aut eſt purus actus, aut pura potentia, aut compoſitum ex actu & potentia. Creatura non eſt purus actus, quia eſſet Deus, nec pura potentia, quia tunc nihil eſſet: ergo eſt compoſita ex actu & potentia.

Scotus autem in 1. d. 8. q. 2. aliter ſentit, cuius hęc ſunt verba: Concedo quod aliqua creatura eſt ſimplex, hoc eſt, non eſt compoſita ex rebus: nulla tamen creatura eſt perfectè ſimplex, quia vel eſt compoſita, vel cum alia componibilis. Et enim materia prima quantuncunque ſit ſimplex quod non componatur ex re & re, eſt ſemper componibilis, vel compoſita cum forma. Componitur etiam omnis creatura, (ait Scotus) ex poſitiuo & priuatio, quia habet entitatem cum priuatione alicuius gradus perfectionis entitatis, quem nata eſt habere quatenus eſt ens. Nulla enim creatura habet entitatem ſecundum totam perfectionem, quæ nata eſt eſſe entitatis in ſe, & ideo priuatur, ſicut talpa viſu, qui dicitur cęcus, quia quatenus animal natus eſt videre. Non tamen quatenus talpa, ex Ariſt. 5. metaph. cap.

cap.de priuatione, ita omnes creaturæ priuantur aliqua perfectione quam natæ ſunt habere quatenus entia. Componitur ergo omnis creatura, non ex re & re poſitiuis, ſed ex re poſitiua, & re priuatiua, licèt talis compoſitio non ſit de rei eſſentia, quia priuatio non eſt de eſſentia alicuius entis poſitiui.

Quòd autem non quodlibet ens componatur ex actu & potentia, hac ratione probatur. Si quodlibet ens componatur ex actu & potentia, accipio partes componentes, & ſint A. & B. quæro nunc, vtrum componantur ex re & re, vel non? Si dicas quòd non habeo intētum: ſi dicas quod ſic, accipio iterum componētia, & procedo vt prius, & ſic erit procedendum in infinitum, vel deueniendum ad aliqua componentia, quę non componuntur ex re potentiali & re actuali.

Reſpondeo igitur ad B. Thomam, quod ſi velit dicere, omne ens completum atque perfectum, ex actu & potentia componi, hoc erit fatendum. Non autem partes alicuius totius, vt de prima materia patet, & forma eſſentiali. Non tamen admittemus, eſſe creaturę ab ipſa creatura, vel à ſua diffinitione realiter aut eſſentialiter diſtingui.

Ens neceſſarium, & contingens: Neceſſarium duplex, & contingens duplex.

CAPVT XXX.

ENS diuiditur iterum in neceſſarium, atque contingens. Neceſſarium eſt, quod non poteſt non eſſe. Contingens verò quod poteſt eſſe & non eſſe. Duplex eſt ne- Duodecima entis diuiſio. Sinc. art. 2.

neceſſarium,& duplex contingens,ſcilicet complexum & incomplexum. Neceſſarium complexum eſt,quod non poteſt non eſſe verum,vt ſunt propoſitiones primi & ſecundi modi. Contingens complexum eſt, quod poteſt eſſe quandoque verum & quandoque falſum,vt ſunt propoſitiones de materia contingenti.

Neceſſarium verò incomplexum eſt, quod non poteſt non eſſe: & hoc duobus modis, videlicet quantum ad eſſe ſimpliciter, & ſic ſolus Deus qui eſt à ſe,dicitur neceſſarius.Ex oppoſito illud quod eſt ab alio, à quo habet eſſe per participationem, quod ideò poteſt eſſe & nõ eſſe, dicitur cõtingens.

Neceſſarium verò ſecũdum quid,eſt illud quod non poteſt non eſſe quantum ad eſſe ſecundum quid: ſicut ſunt omnes res mundi quæ ſunt poſſibiles,habuerunt enim ab æterno eſſe cognitum,& in aliquo priori naturæ ante determinationem diuinæ voluntatis: & per conſequens (cùm intellectus diuinus naturaliter operetur) neceſſariæ ſunt in tali eſſe,quia quod determinationem diuinæ voluntatis præcedit,neceſſarium eſt.

Trõb. art. 2. Nec aliquid dicitur contingens, vt opponitur iſti neceſſitati.Illud autem eſſe cognitum, quod ab ęterno ex ſua intellectione creaturis cõtulit Deus, non eſt aliquod verum eſſe eſſentiæ aut exiſtentię: de mente Scoti libro primo ſententiarum diſtinctione, prima quæſtione prima contra Henricum Gandauenſem, qui voluit res eſſe eſſentiæ ab æterno habere: hinc dicitur eſſe cognitum & ſecundum quid,per quandam imitationem.

Obiici poteſt, Deus ab æterno intelligit quamlibet creaturam cùm neceſſariò ſic intelligat. Cognitio autem Dei eſt realiter ipſi eadem. (Omne enim

enim quod eſt in Deo realiter eſt ipſe Deus) ergo non poteſt eſſe ſine iſta intellectione, & ex conſequenti ſine obiecto cognito. Illud autem abſurdum videtur: nam Deus eſt ens maximè neceſſarium, Creatura autem in eſſe cognito, eſt tantum neceſſaria ſecundum quid, non tanta neceſſitate, quanta eſt Deus cùm illa ab alio in tali eſſe cognito ſit neceſſaria, Deus verò à ſe: Ergo maximè neceſſarium à minus neceſſario depēdet: & ſic Deus à creaturis, quod eſt contra fidem.

Reſpondet Trombeta, Deum ſimpliciter poſſe eſſe abſque aliqua creatura exiſtente (vt re vera erat ante mundi conſtitutionem) quia prius abſolutum eſſe poteſt abſque repugnantia ſine poſteriori: Non tamen ſine eſſe cognito creaturarum, quia eſſe eius, alterius cognitionem requirit, & per conſequens aliud in eſſe cognito.

Alij reſpondent, Deum non præxigere eſſe cognitum alicuius creaturæ ad ſuum eſſe, ſed è diametro ad eſſe Dei ſequi creaturarum eſſe cognitum. Modo non eſt inconueniens ad eſſe alicuius magis neceſſarij, aliquid minus neceſſariū ſequi: licet poſſit eſſe magis neceſſarium ſine minus neceſſario. Cōtra: Pater diuinus eſt neceſſarius à ſe, & Filius eſt neceſſarius à Patre, ergo minus neceſſarius eſt Filius Patre, ergo ex prędictis poterit eſſe Pater in diuinis, ſine Filio.

Reſpondeo, Patrem in diuinis Filio non eſſe neceſſariorem, cùm vtriuſque ſit eadem eſsētia, ideò vnum ſine alio eſſe non poſſe. Et cum dicitur magis neceſſarium poteſt eſſe ſine minus neceſſario, verum eſt vbi eſſentialiter diſtinguntur. At verò eſſentialiter non diſtingūtur Pater & Filius, & ſic ſunt eiuſdem neceſſitatis quemadmodum & Spiritus

ritus

ritus ſanctus: quia ſic tota Trinitas eſt neceſſaria à ſe: tamen ſi ſumatur neceſſarium à ſe notionaliter, nimirum pro eo quod à nullo eſt, neque effectiuè, neque productiuè. Pater dicitur neceſſarius à ſe, Filius verò ab alio realiter diſtincto, ſed non eſſentialiter: & ſic patet Patrem diuinum non eſſe Filio neceſſariorem, & ſi Pater ſit à ſe, Filius verò à Patre, per æternam generationem.

Neceſſarium ex ſe & à ſe, & ex ſe, & ab alio apud Philoſophos & Theologos.

CAPVT XXXI.

Trób. art. 1. NECESSARIVM incomplexum ſecũdum eſſe ſimpliciter, tam ſecundum Philoſophos quam Theologos eſt duplex. Ex ſe & à ſe & ex ſe formaliter, & ab alio productiuè. Apud theologos Pater diuinus eſt ſolus neceſſarius à ſe, qui habet naturam ſimpliciter neceſſariam, & non in aliquo producente: quinimò ipſe eſt principium omnium producibilium, tam in diuina natura, quàm in creaturis, dicente B. Auguſt. 4. de Trinit. cap. 20. Pater eſt principium totius diuinitatis: neceſſarium verò ex ſe formaliter & ab alio productiuè eſt Filius diuinus & Spiritus ſanctus, qui habet naturam ſimpliciter neceſſariam & indefectibilem: ſed Filius illam habet à Patre producente, & Spiritus ſanctus à Patre & Filio à quibus ex æquo procedit, vt docẽt omnes Latini doctores, cõformiter ad Scripturam ſacram.

Secundum Philoſophos neceſſarium à ſe & ex ſe eſt Deus, & prima intelligentia: neceſſarium ex ſe formaliter & ab alio effectiuè eſt ſecunda intelligen-

ligentia, & quælibet alia à prima. Habet enim intelligentia ſecunda ſicut prima, entitatem ſimpliciter ex ſe neceſsariam, ſed illam habet à prima producente. Neque iſta contradicunt ex ſe formaliter & ab alio effectiuè, quia illa important duas habitudines ad diuerſa.

Secunda intelligentia habet eſſe effectiuè à Deo.

CAPVT XXXII.

LOQVENDO ad mentem philoſophorum, certũ eſt ſecũdam intelligentiã (de qua jam pauca accepiſti) habere eſse effectiuè à Deo, & prima intelligẽtia. Sed cõtra hæc multa objiciuntur: Primò, ſi ſecũda intelligẽtia habeat eſse effectiuè à prima, producitur de non eſſe ad eſſe: ſed quod producitur de non eſſe ad eſſe, eſt contingens, ergo ſecunda intelligentia non eſt neceſſaria. Contra prædicta Ariſt. 12. meta. & Commentator ibidem. com. 30. 41. & 44. dicunt, quod nullo modo eſt potentia (obiectiua) in ſempiternis & neceſſarijs, ſed ſi intelligentiæ ſecundæ producerentur ad eſſe, potentia ad eſſe in illis eſſet, & ſic ſequeretur illud ad quod deducit Commentator 1. Cœli, com. 121. & com. 124. quod haberent potentiam ad eſſe præcedentem actum, & ſic in ſempiternis eſſent duæ potentię contrarię, quarum vna eſſet ad eſſe ſemper, & altera ad non eſſe. Nam neceſſarium eſt, quod non poteſt non eſſe, ſed ſi produceretur ad eſſe, circumſcripto producente, poſſet non eſſe: ergò ſic non eſſet neceſſaria.

Reſponderi ſolet, Potentiam præcedere actum duobus modis, ordine temporis, quo flores præ-

dunt fructus,& ordine naturę: & hoc duobus modis,nimirum ordine naturæ poſitiuè,& ordine naturæ priuatiuè.Ordo naturę poſitiuè accipitur inter illa quorum vnum actu & poſitiuè alterum præcedit, ſicut in homine ſenſitiuum præcedit intellectiuum. Accipitur autem priuatiuè ordo naturæ inter aliqua,quorum vnum natura alterum non præcedit actu & poſitiuè, ſed tantum natum eſt ineſſe,niſi oppoſitum per aliquod agens extrinſecum induceretur. Exempli gratia, Ponamus aliquod perſpicuum quod ab æterno nunquam fuerit ſub vmbra alicuius opaci, ſed perpetuo à ſole fuerit illuminatum: Corpus illud actu lumine nō caruit, & ſic illuminationem illius non præceſſit potentia ordine naturæ poſitiuè, ſed ordine naturæ priuatiuè, quia tale corpus prius erat affectum priuari lumine, quam illuminari à ſole. Idem dicendum eſt de materia,quę licèt actu non caruerit forma, tamen prius erat nata forma carere quàm ea informari.Dico igitur potentiam non præcedere actum in ſempiternis & neceſſarijs tempore, aut ordine naturæ poſitiue,ſed ſolum ordine naturæ priuatiuè. Et hoc vult Auerroes 12. metaphi. com.41.dicens,quod ſi potētia eſt in ſtellis, & ſempiternis non eſt modo potentiali: quaſi diceret,potentia in ipſis non præcedit actum poſitiuè,ſed priuatiuè.Et hoc præſupponendo cum Ariſtotele,Cęlum eſſe æternum,quod eſt contra fidem.Talis ordo naturæ priuatiuè, non repugnat neceſſariò ex ſe & ab alio, licèt repugnet neceſſariò ex ſe & à ſe. Cùm ergo dicitur, poſſibile ſiue contingens contra neceſſarium diſtinguitur:verum eſt ſi poſſibile dicatur à potentia præcedente actum,tempore,vel ordine naturæ poſitiuę,non autem ordine naturæ pri-

priuatiuè.Illud enim ſimpliciter eſt neceſſarium, nec contra neceſſarium diſtinguitur, ſed contra impoſſibile. Et cùm dicitur illud quod producitur ad eſſe, habebit potentiam ad eſſe & non eſſe, verum eſt ordine naturæ priuatiuè. Ad illationem in eodem erunt duæ potentiæ contrariæ,vna ad ſemper eſſe,altera ad non eſſe, producente circumſcripto per impoſſibile:Reſpondeo,quod intelligentia ſecunda,licèt producatur à prima, habet naturam neceſſariam per quam intrinſecè, & quantum eſt ex ſe, non poteſt non eſſe: ſed quia eſt ab efficiente ipſo circumſcripto (per impoſſibile) ipſa poterit non eſſe, ſed iſta potentia eſt extrinſeca, & non ex parte naturæ. Quod autem aliquid poſſit ſemper eſſe potentia intrinſeca, & non poſſit non eſſe potentia extrinſeca & accidentaliter,non repugnat: quia iſtæ potentiæ non ſunt contrariæ, cùm non ſint reſpectu eiuſdem.Hoc modo docet Commẽtator, naturam ſimpliciter poſſibilem, non poſſe neceſſariam fieri, quia poſſibile ex ſe habet vnde poſſit non eſſe: & neceſſarium ex ſe habet vnde nõ poſſit non eſſe. Ergo ſi aliquod poſſibile fieret neceſſarium, in ipſo eſſent duæ potentiæ contrariæ.

Ad vltimum cùm dicitur, Neceſſariũ eſt quod non poteſt non eſſe, verum eſt (ait Trombeta) de neceſſario ex ſe & à ſe:ſed non de neceſſario ex ſe & ab alio. Dico tamen, neceſſarium ex ſua intrinſeca natura non poſſe non eſſe, circunſcripto quocunque alio,cuius circunſcriptio non implicat cõtradictionem,ſed ponere ſecundam intelligentiam eſſe prima circunſcripta,implicat contradictionẽ: quia effectus etiam ſimpliciter neceſſarius non poteſt eſſe ſine cauſa à qua eſſentialiter dependet, licet poſſit non eſſe ipſa cauſa circunſcripta: intelli- Trób. art. 1.

gentia autem ſecunda eſſentialiter à prima dependet,ergo ſine ea eſſe non poteſt,& ſic poſſet non eſſe ipſa prima circunſcripta, quod eſt impoſſibile: ergo intelligētia ſecūda eſt ſimpliciter neceſſaria.

Filius diuinus Theologis eſt neceſſarior quam Philoſophis ſecundę intelligentiæ.

CAPVT XXXIII.

T18. art. 1. SOLET hic dubitari, & quæri, nec citra rationem: An ſecunda intelligentia apud Philoſophos ſit neceſſaria tanta neceſſitate, quanta eſt Filius Dei apud Philoſophos? Reſpondeo,poſito cum Philoſophis, quod ſecunda intelligentia ſit neceſſaria, illam ſecundā intelligentirm neceſſariam eſſe quidem, ſed non tanta neceſſitate, quanta Filius Dei ſecundū Theologos. Nam apud illos Philoſophos,ſecunda intelligentia neceſſaria eſt in natura à prima diſtincta. Filius autem diuinus habet eandem naturam, & ex conſequenti eandem neceſſitatem cum Patre: & ita Filius diuinus non poteſt non eſſe circunſcripto quocunque alio à ſe diſtincto, natura & entitate: Et ſi dicatur, Filius poſſet non eſſe circunſcripto per impoſſibile Patre producente: verum eſt, quia non eſt Filius à Patre eſſentialiter diſtinctus,& ſic Patre ſecluſo eſſe non poteſt, cùm contradictio ſit idem eſſe & non eſſe, quod fieret ſi Filius eſſet circunſcripto Patre, cùm ſint eiuſdem naturæ, eſſentiæ,& entitatis. Sed non ita eſt de ſecunda intelligentia, quia poteſt non eſſe, circunſcripto omnia ab ea realiter diſtincto: quia circumſcripta prima intelligētia,quæ ab ipſa realiter

ter diſtinguitur, poterit non eſſe. Modo ex his argumentor illud, quod non poteſt nõ eſſe, etiam circumſcripto omni ab eo eſſentialiter diſtincto, eſt magis neceſſarium, eſt quod poteſt non eſſe circumſcripto omni ab eo diſtincto eſſentialiter: ſed Filius diuinus non poteſt non eſſe etiam circumſcripto omni ab eo eſſentialiter diſtincto: & intelligentia ſecunda poteſt non eſſe circumſcripto quocunque ab ea realiter diſtincto (nam non poteſt eſſe prima circumſcripta) ergo Filius diuinus eſt Theologis neceſſarior, quàm Philoſophis ſecunda intelligentia.

Ens dependens & independens.

CAPVT XXXIIII.

ENTIVM inſuper quoddam eſt dependens aliud indepẽdens: Hoc ſolus Deus eſt, quia à nullo in aliquo genere cauſę dependet, vt docet Scotus 1. ſent. diſ. 2 & 8. Illud eſt quod in aliquo genere cauſæ ab alio dependet. Cũ igitur omnes creaturę à Deo ſint in genere cauſæ efficientis, ſequitur quod ab eo dependent. Quocirca notandum eſt ex Ariſt. 12. metaph. tex. com. 52. Omnia habere ordinem eſſentialem inter ſe, & magis ordinem eſsentialem ad ens primum, nempe Deum. Ex quo vult (cùm iſte ordo ſit eſsentialis dependentiæ (omnia eſsentialiter à primo ente dependere. E (cùm nihil ſit eſsentialiter dependens ab aliquo in ſuo eſse, niſi in aliquo genere cauſæ) vult omnia à Deo dependere, tanquam à cauſa efficiente atque finali.

Tertiadecima entis diuiſio.

Tr6b. art. 1.

Multi tamen ſententiam prædictam Ariſtot. ex-

 ponen-

ponentes, dicunt ſecundam intelligentiam à Deo, aut prima intelligentia effectiuè non dependere, & vt à cauſa efficiente, ſed tantum vt à cauſa finali: putantes Ariſtotelem non admittere, ſecundam intelligentiã effectiuè cauſari à prima: ſed iam illud reſoluimus, nec tamen ſequitur, intelligentia ſecunda habet eſſe effectiuè à Deo, ergo potentia in ea præceſſit actum. niſi ordine naturę priuatiuè. Quod autem velit Ariſt. ſecundam intelligentiam à prima dependere, non ſolum in genere cauſæ finalis, ſed etiam in genere cauſę efficientis: probatur ex verbis ipſius 12. metaphyſicæ tex. com. 36. vbi dicit, primũ mouens, mouet, ſicut appetibile & intelligibile, ſed appetibile & intelligibile mouent non mota. Sic autem Deus mouet ſibi proximam intelligentiam, igitur cauſat intelligere ipſius intelligentiæ, ſed illud intelligere in via Ariſtotelis eſt idem cum ſubſtantia intelligentiæ: ergo voluit Ariſt. ſecundam intelligentiam à prima effectiuè produci, & à maiori quæcunque alia. Si dicatur primam intelligentiam ſui cauſando notitiam, in ſecunda mouet eam metaphyſicè & intentionaliter tantum, non quod aliquid cauſet. Contra: Omnis intellectio alicuius obiecti, ab eo realiter diſtincta, cauſatur ab illo (vel ſaltem à ſpecie vices obiecti ſupplente) ſed intellectio ſecundæ intelligentiæ, ab obiecto realiter diſtinguitur, vt patet: nam ipſum ſecundæ intelligentiæ obiectum, eſt prima intelligentia: ergo cognitio ſecundæ intelligentiæ cauſatur ab obiecto, etiam effectiuè. Atqui intellectio eſt eadem ſecundæ intelligentiæ, ſecundum philoſophum, ergo ſecundum eandem, ſecunda intellligentia cauſatur à prima, non ſolum in ratione cauſæ finalis,

ſed etiam efficientis. Hoc argumentum roboratur per Commentatorem in præfatum Ariſt. locum, vbi dicit, quod Balneum in mente (hoc eſt in ſpecie intelligibili) mouet vt efficiens, producens effectiuè notitiam ſui) & extra mouet vt finis: ergo à ſimili intellectio ſecundæ intelligentiæ, cauſatur effectiuè, à primo ente, vt áb obiecto. Nec dicendum intellectionem ſecundæ intelligentiæ, & eius ſubſtantiam, à prima dependere vt à cauſa finali tantum, quòd prima intelligentia terminet dependentiam ſecundæ, & finiat eam, & ſic tantum in ratione cauſæ finalis. Nam Philoſophus dicit intelligentiam primam non ſolum mouere vt terminans dependentiam intelligentię ſecundæ, imò vt mouens ad actum amandi, quia mouet vt amatum & deſideratum: ergo eſt cauſa amoris intelligentiæ ſecundæ & intellectionis, & non niſi effectiuè: ergo cauſat eam non ſolum vt finis, ſed vt efficiens.

Præterea, ſi Deus eſt omnium cauſa finalis, eo ſolum quòd terminat dependentiam eorum in ratione finis: illud non eſſet, niſi præexigentia entitatis diuinæ, quod omne ens ad ſuum eſſe requiret entitatem Dei. Sed hoc non eſt ad mentem philoſophi, quia nedum de entitate diuina, imò de entitate cuiuſlibet ſpeciei, philoſophus habuit pro impoſſibili, quod vniuerſum poſſit ea carere. Vnde ſi Deus non eſſet cauſa finalis, niſi quia ens natura pręſupponitur ad eſſe aliarum rerum. Homo eſſet cauſa finalis aliarũ rerum ſecundum philoſophũ, Et non eſſet differentia niſi in hoc, quòd Deus maior ſemper eſſet humana natura: nam quò ad pręexigentiam neceſſariam ęquè neceſſaria eſt ſpecies humana, ſicut Deus, ad eſſe aliarum rerum.

Omnia ſunt ad aliquid denominatiuè, et quæ ſint dependentia eſſentialis & accidentaria.

CAPVT XXXV.

IMPOSSIBILE tamen videtur omnia à Deo dependere; nam cùm dependentia ſit relatio, videretur omnia eſse ad aliquid: quod eſt inconueniens & contra ꝑhiloſophum 4. metaphyſicæ.

Reſpondeo, omnia eſse ad aliquid denominatiuè, quia in omni ente fundatur reſpectus dependentiæ ad Deum: quod philoſophus non negat, licet negaret omnia eſse ad aliquid formaliter & quidditatiuè, ſicut ſunt paternitas & filiatio. Obijcitur iterum, Reſpectus ille fundatus in creaturis, & ad Deum terminatus, vel eſt res diſtincta à creatura vel nõ: ſi non, ergo omnia ſunt ad aliquid eſsentialiter & quidditatiuè: ſi ſic, ergo creatura poterit eſse ſine tali reſpectu, & ſic non dependebit à Deo. Probatur ſic, Omne prius abſolutum, realiter a ſuo priori diſtinctum, poteſt eſse ſine contradictione abſque illo poſteriore (licet poſterius aliquando non poſſit eſse ſine priori) ſed creaturæ omnes ſunt priores dependentia, ergo poſſunt eſse ſine tali dependentia. Probo minorem: Omne fundamentum eſt prius ſua relatione, ſed creatura eſt fundamentum & dependentia eſt relatio, ergo creatura prior eſt ſua depẽdẽtia: ergo poteſt eſse ſine ipſa, & ſic poterit eſse creatura ſine dependentia ad Deum; & ſic non dependet: nam effectus formalis etiam per diuinam potentiã non poteſt eſse ſine ſua cauſa formali: dependere autem

eſt effe-

eſt effectus formalis, & dependentia eſt relatio: ergo ſi creaturæ poſsunt eſse ſine dependentia, poterunt eſse & non dependebunt à Deo: quod eſt abſurdum, quia in ipſo mouemur & ſumus.

Reſpondetur ſecundum Scotum lib.2.ſent.di.1. q.4. & 5. Talem dependentiam realiter eſse eandẽ cum creatura. Omnis enim relatio cuius fundamẽtum eſse non poteſt ſine termino, eſt eadem realiter ſuo fundamento, ſed creatura nõ poteſt eſse ſine Deo: ergo creatura eſt realiter ſua depẽdentia: non tamen ſequitur eſse eam eſse ad ſua aliquid eſſentialiter: Hæc vt clariora ſint, notandum eſt duplicem eſse dependentiam, eſsentialem & accidentariam: Illa eſt quando dependens non poteſt eſse ſine eo à quo dependet, ſicut dependent creaturæ à Deo creatore, Relationes ab extremis, totum à partibus. Contradictio enim eſset, ſi intelligerem creaturam eſse abſque Creatore, aut relationem abſque extremis, vel totum eſse quod partibus careret. Dependentia verò accidentaria, eſt quando ſine contradictione, & ſimpliciter poteſt eſse depẽdens abſque eo à quo dependet, ſicut Filius à Patre dependet, lumen à ſole, calor ab igne, abſolutũ accidens à ſubiecto. Hoc modo nulla creatura abſoluta ab alia dependet, cùm etiam in genere cauſę efficientis, creaturam abſolutam poſſit Deus ſeipſo creare & conſeruare, ſine cauſis ſecundis.

Placeat igitur eius immenſæ bonitati, & clementiæ, nos conſeruare, & ſua protectione munire: vt nullis perturbationib. nos cõcuti ſinat, ſed faciat cum tentatione prouentum, vt poſſimus ſuſtinere, quatenus ad cęleſtia gaudia peruenire, eius gratia & fauore mereamur. Amen.

Gloria & laus Regi ſupremo.

FORMALITATVM MONOTESSERAE

LIBER III.

Qui de identitatibus & diſtinctionibus inſcribitur.

PRAEFATIO.

LONGE *falletur opinione (vt mea quidem fert ſententia) totoq; aberrabit cælo: quinimò laterem lauerit, qui metaphiſicę & ſcientiæ formalitatum rationem, ſe ſuiſſe aſſequutum exiſtimauerit: qui rerum diſtinctiones, et eis oppoſitas identitates penitus ignorouerit. Quocirca (ne quid intactum omittatur) duobus pręcedentibus libris, imò toti operi coronidem addet hic tertius (vt præmiſimus) & nouiſſimus liber de diſtinctionibus & identitatibus præcipuè tractans.*

Sciendum eſt ergo, ſeptem eſſe identitates, quæ ſunt identitas rationis, identitas ex natura rei. formalis, realis, eſſentialis, ſubiectiua, et obiectiua, & (cum tot modis dicatur vnũ oppoſitorum, quot modis dicitur reliquum) totidem ſibi oppoſitas diſtinctiones. De quibus ſi omnipotens Dominus ſuum nobis non denegauerit fauorem, qui ſapientiam dat omnibus affluenter, & nulli improperat: ordine quo à veteribus & modernis formalitatum ſcriptoribus digeſtæ ſunt, breuiter dicendum duximus.

Vni-

Vnitas multiplex.

CAPVT I.

QVONIAM identitatis, proximum fundamentum eſt vnitas, de identitate dicturi, notabimus primò, vnitatis multos eſſe gradus. Prima vnitas omnium minima eſt vnitas aggregationis, qualē in aceruo lapidum conſpicere licet. Secunda, dicitur vnitas ordinis, quæ aliquid addit ſupra aggregationem. Tertia, eſt vnitas per accidens, vbi vltra ordinem eſt informatio vnius ab altero (licet accidentalis, vt homo albus) eorum quæ ſic vniuntur. Quarta, eſt vnitas eſſentialis ex principijs eſſentialibus, ſeu ex per ſe actu & per ſe potentia, qualis eſt in hoc pronunciato animal rationale. Quinta, eſt vnitas ſimplicitatis quæ eſt vera identitas: quicquid enim eſt ibi, eſt realiter idem cuilibet: & non tantum cum illo eſt vnum vnitate vnionis, ſicut in alijs modis ſed etiam identitatis. Sciendum eſt tamen vnitatem aggregationis & vnitatem per accidens, in eo diuerſas eſſe: quòd vnitas aggregationis nullū inter ſuas partes ponit ordinem eſsentialē, ſed tantum ſitus, vt poſterior pars ſecūdum ſitum poſſit eſse prior: item quòd quælibeat pars ſit ſimpliciter in actu, quod vna non ſit actus, & altera potētia: vnitas verò per accidens, ordinem eſſentialem inter ſuas partes dicat, cùm ſubſtantia, ex ſui natura neceſſariò ſit accidēte prior ex 7. meta. tex. com. 4. & ab ipſo informetur, & ſe habeat ad modum potentiæ reſpectu illius. Differentia eſt etiam inter vnitatem ſimplicitatis ſeu identitatis, & vnitatem

tatem per ſe ſeu eſſentialem: quia in hac, partes ſæpius inter ſe realiter diſtinguntur, vt patet de corpore & anima in homine, licet in tertio identificetur, ſed in illo omnia ſunt eadem realiter, licet formaliter poſſent diſtingui, ſicut in Deo vbi omnia eadem ſunt realiter, tamen attributa inter ſe, & ab eſſentia, & à notionibus, formaliter diſtinguntur. vide ad hoc propoſitum quæ ſint vnitas vnionis & identitatis, de quibus libro præcedente cap. 10. diximus, vt mihi videtur abundè.

Res multipliciter dicitur.

CAPVT II.

QVIA vnitas eſt paſſio entis, ens verò & res ſynonima ſunt, ſi vniformiter ſumantur: ſciendum eſt, hoc nomen, Res, multis modis ſumi. Primò, extenſiſſimo vocabulo, pro omni eo quod in ſuo conceptu non includit contradictionem, & ſic homo centum manuum, & totidem pedum. Res dici poſset, quia aliquid tale eſſe non implicat contradictionem. Ad hunc ſenſum ſunt excipienda Ouidij verba.

Centum luminibus cinctum caput Argus habebat,
Inq; æ ſuis vicibus capiebant bina quietem,
Cætera ſeruabant, atque in ſtatione manebant.

Huic modo Rei opponitur Nihil, vt ſumitur pro eo quod implicat contradictionem, vt homo irrationalis, equus riſibilis.

Secundò ſumitur Res pro ente poſitiuo, ſiue per opus intellectus, ſiue abſque eo eſſe poſſit habere: & ſic ſecundę intẽtiones, & cæterę relationes ratio-

rationis dicuntur Res, cùm poſſint ſuo modo habere eſſe. Hoc modo ęquiuocum eſt Res, quia eſt communis enti reali & enti rationis, quibus nullus eſt communis obiectiuus conceptus. Et huic Rei opponitur Nihil, vt dicit priuationem vel negationem extra genus.

Tertio ſumitur Res, pro eo quod ſecluſo opere intellectus collatiuo poteſt habere eſse: & ſic vniuocè dicitur de omni ente reali. Et ei opponitur Nihil, vt dicit negationem entis realis ſeu poſſibilis quò ad exiſtentiam, ſecluſo collatiuo opere intellectus · hoc modo ſecunda intentio eſt nihil. De illo autem quod ſic nihil eſt, ſcientia habetur, vt patet de Grammatica,& Dialectica,quę verę ſciētiæ ſunt, licèt habeantur de ſecundis intentionibus,quia quod ſic nihil eſt ſuo modo nihilominus eſt poſitiuum.

Quartò ſumitur Res,pro ente reali abſoluto:& eo modo Deus,ſubſtantia,quantitas,& qualitas dicuntur Res,quæ verò ſunt de ſeptem alijs prędicamentis: hoc modo. Nihil ſunt: hæc eſt enim vera enunciatio,paternitas nihil eſt abſolutum.

Quinto ſumitur Res,pro eo cui primo & per ſe competit eſse:.& ſic ſola ſubſtantia dicitur Res,ad philoſophi mentem, 7. metaph. Accidentia non ſunt entia niſi quia entis,hoc eſt, accidentia entia ſunt (id eſt exiſtentia) quia inhærent ei, quod per anthonomaſiam dicitur ens,ſeu Res. Ad hunc ſenſum omne accidens dicitur nihil, nam hęc eſt vera propoſitio, color nihil eſt per ſe exiſtens.

Paſſionis autem coniunctæ quæ eſt idem vel diuerſum, ſubiectum eſt ens ſeu Res, quæ habet eſſe, vel poteſt habere præter intellectus opus collatiuum. Veruntamen quia entia rationis anologicè

ſunt Res, ſic ſuo modo analogicè inter ſe diſtinguntur & identificantur: ita quod ſicut dicimus duas ſpecies, aut duo indiuidua, in entibus realibus, realiter & eſſentialiter diſtingui, ſic ſuo modo ſentiendum eſt de duabus ſpeciebus, aut duobus indiuiduis, in entibus rationis.

Contradictio eſt diſtinctionis proximum fundamentum.

CAPVT III.

VIA maxima, & prima ad concludendam inter aliqua diſtinctionem, eſt contradictio: cùm contradictio maxima ſit oppoſitionum & ſimpliciter prima, quod ab omnibus alijs præſupponatur, vt patet manifeſtè de alijs oppoſitionibus diſcurrenti. Quapropter vbicunque fuerit, vel etiam minima contradictio, ſciendum eſt ibi aliquam eſſe diſtinctionem. Exempli gratia, In hoc pronunciato, homo eſt homo, quædam eſt contradictio, cùm dici poſſit de illa dictione, ſubiectum non ſubiectum, vel prædicatum non prædicatum: etiam ratione eadem diſtinguitur dictio, in prædicato, à ſeipſa ex parte ſubiecti. Sic per analogiam de alijs diſtinctionibus & identitatibus conuenit iudicare. De illis ergo dicamus, & primo de identitate rationis, & ei oppoſita omnium minima diſtinctione.

De identitate rationis.

CAPVT IIII.

IGITVR eſt ſciendum, nulla adeò diuerſa eſſe realiter aut eſſentialiter, quæ per actum intellectus collatiuum eadē ratione eſſe non poſſint. Exempli gratia, In his propoſitionibus Deus eſt ſubſtantia, homo eſt animal: licèt Deus & homo realiter & eſſentialiter diſtinguantur, ſunt tamen idē ratione, quia in eo cōueniūt, quòd vtrumque eſt ſubiectum propoſitionis. Omnia item 10. genera generaliſſima, ſunt ratione eadē, quia cōueniunt in relatione rōnis, quæ dicitur genus generaliſſimum, licèt eſſentialiter diſtinguantur, quia ex Themiſtio eſſentiæ prædicamentorum ſunt impermixtæ. Falſum eſt ergo (ſaluo meliori iudicio) quæcunque ſunt ratione eadem, quacunque alia identitate identificari. At verò quoniam dictum eſt 10. prædicamenta conuenire in relatione rationis, ſciendum eſt, Relationem eſſe quandoque realem, & quandoque rationis. Illa eſt quæ poteſt eſſe quocunque intellectus actu ſecluſo, vt paternitas, ad quam tres requiruntur conditiones, i. quòd extrema ſint realia, & in ratione fundandi ab intellectu non dependeant: ſecundò quòd ſint realiter diſtincta, ſaltem in relationibus intrinſecus aduenientibus. Tertiò quod relatio oriatur inter extrema, ex natura ipſorum ſine intellectus operatione. Sed relatio rationis eſt, quæ fit per actum collatiuum alicuius potentiæ, cuiuſmodi ſunt ſecundæ intentiones. Aliquando etiam ſumitur relatio rationis, pro Brulliſer.

ea cui deficit, vna conditionum ad relationem realem requiſitarum, ſicut eſt diſtinctio entis ad non ens, vbi extrema non ſunt realia, & eiuſdem ad ſeipſum, vbi extrema non ſunt realiter diſtincta, & relatio creationis actiuæ, dominij actiui, gubernationis actiuæ Domini Dei ad creaturas: quæ relationes neceſſariò non oriuntur ex natura extremorum, cum Deo ex tempore aduenerint, ſicque non poſſint eſſe reales: Nam quicquid eſt in Deo ex natura rei, eſt realiter ipſe Deus: ergo ſi illæ rationes eſſent reales, Deo realiter identificarentur, & ſic ſequeretur Deum à creaturis depẽdere, cùm ſine creaturis eſſe non poſſet. Probatur ſequela, Relatio actualis nequit eſſe ſine fundamento & termino, ſed creatura eſt terminus illius creationis actiuæ, aut dominij, aut gubernationis (licèt ſit fundamentum creationis paſſiuæ, & dominij, & regiminis, quę ad Deum terminantur) ergo Deus qui non poſſet eſſe ſine illis relationibus, non poſſet eſſe ſine creaturis. Quòd autem illæ relationes ſint actuales, probo: Relatio aptitudinalis fundamento realiter identificatur, cùm non ſit niſi propria paſſio, quæ eſt inclinatio alicuius ad aliquid, nec requirit terminum niſi in aptitudine: ergo non poteſt eſſe fundamentum ſine ea. Sed Deus non fuit Creator niſi cum tempore; ergo relationes tales non ſunt aptitudinales, ſequitur ergo eas eſſe actuales. Dices forſàn contra prædicta, Paternitatem creatam, pari iure non eſſe realem: nam ſicut ab æterno Deus non erat Creator, ſic nec Ioannes pater fuit ſtatim poſtquam cœpit eſſe. Reſpondeo, comparationem abuſiuam eſſe, nam Deus ab æterno res omnes futuras cognouit, & eis ſua cognitione eſſe poſ-

poſſibile dedit, in quo nobilius eſſe habebāt, quam habuerint in ſeipſis creatæ: non tamen erat Deus Creator, donec eas produxiſſet ad extra, & tunc denominatione extrinſeca duntaxat, dictus fuit Creator: Ioannes verò cùm incipit eſſe, non habet in eſſe cognito Petrum filium, cui aliquod det eſſe poſſibile: denique cùm habet filium, dicitur pater intrinſeca denominatione. Dicet etiam forſan alius, Illas relationes creationem actiuam, dominium, & gubernationem verè Deo ex tempore euenisse: nihilominus eſſe reales. Sed contra talia dicta, eſt Scriptura ſacra Malach. 3. Ego Deus & non mutor. & Iacobi 1. Apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio. D. Auguſt. lib. 5. de Trinita. Nihil accidit Deo temporaliter: Quæ ita ſunt accipienda, vt Deum nulla motus ſpecie poſſe mutari: nec generatione, cùm à nullo produci poſſit: nec corruptione, cùm non poſſit non eſſe: nec augmentatione, quia infinito non poteſt fieri additio: nec diminutione, quia tunc non eſſet Deus, cùm poſſet ab aliquo excedi: neque ſecundum locum, quia vbique eſt per præſentiam, potentiam, & eſſentiam: neque alteratione, quia perficeretur accidentaliter. Hinc conſtat creationem actiuam, dominium, &c. realia non eſſe, quia Deo accidentia hærerēt, cui nihil hęrere poteſt, nec poteſt vllo modo perfici: & quando creaturæ productę fuerunt, ipſe Deus eſſet mutatus, ſicque infinitus non eſſet: & rurſus illa poſſent quandoque non eſſe, ſi Deus totum vniuerſum annihilaret, cùm non eſſet amplius terminus talium relationum. Relinquitur ergo, tales relationes non eſſe reales, ſed reſpectus rationis qui Deo ex tempore conueniunt.

Sitec. art. 2. Alio modo ſumitur identitas rationis magis propriè,& ſic:Illa ſunt eadem ratione,quæ habent eundem conceptum omnino indiſtinctum ex parte rei, & ex parte intellectus, vt homo eſt ſibijpſi idem,& omnia entia tertij modi dicẽdi per ſe. Pro clariori horum explicatione,notandum eſt, quod quando intellectus intelligit obiectum aliquod(vt puta lapidem) intellectione ſimplici, duo conſideranda ſunt: ibi natura lapidis qui intelligitur,& ipſum eſſe cognitum, quod acquirit lapis ab intellectu.Natura lapidis qui intelligitur: eſt ens reale: eſſe verò cognitum,eſt ens rationis. Et quia vnum quodque ens conſequitur ſua propria vnitas, naturam lapidis,conſequitur vnitas realis: ipſum verò eſſe cognitum,conſequitur vnitas rationis. Quale eſt enim eſſe rei,talis eſt vnitas conſequens ipſum. Vnitas autem cùm ſit proximum fundamentum identitatis, ex 5.metaph.cap.de Ad aliquid, vnitas conſequens eſſe cognitum,eſt fundamentum identitatis rationis,& vnitas conſequens naturam lapidis qui intelligitur,eſt vnitas ex natura rei. Ex his ſequitur, quod cùm intellectus aliquid intelligit actu recto, non comparando illud ad aliud (cùm habeat conceptum indiſtinctum omnino,ex parte rei,& ex parte intellectus,non diſtinguentis ipſum obiectum ab alio) obiectum, vt habet eſſe cognitũ per vnitatem conſequentem, tale eſſe cognitum fundamentum eſt identitatis rationis. Et ad hunc ſenſum dicuntur omnia entia tertij modi,quę per ſe & ſine aliqua relatione ad aliud concipiuntur, fundare identitatem rationis. Ex his patet veram eſſe Scotiſtarum propoſitionem,dicentium, identitatem rationis eſſe abſolutiſſimam, quia non dependet ab actu collatiuo intellectus, aut alterius

potentiæ

potentię collatiuæ. Abſolutum igitur duobus opponitur, Reſpectiuo, & Dependenti.

Identitas rationis primo modo non eſt abſolutiſſima, quia eſt reſpectus rationis: ſed ſecundo modo eſt abſolutiſſima, quia non dependet ab actu collatiuo alicuius potentiæ collatiuæ, ſicut ſuum oppoſitum, nempe diſtinctio rationis, quæ habet eſſe ab actu collatiuo à quo dependet. Contra prædicta obijci ſolet, Relatio eſt inter extrema quæ ſunt fundamentum & terminus, ſed identitas rationis eſt eiuſdem ad ſe: nulla autem relatio eſt eiuſdem ad ſe, niſi per actum collatiuum intellectus, ergo identitas rationis ab actu intellectus dependet, vel alterius potentiæ collatiuæ. Confirmatur hæc ratio per Ariſtotelem 5. metaph. capite De eodem, textu commento carente. Immediatè ſequente textu. Comment. 15. dicentem, Identitas eſt vno modo, quando intellectus vtitur vno vt duobus: ex quo ſequitur, quod ſecundum Ariſtotelem, Identitas quæcunque eſt, eſſe oportet inter aliqua duo: ergo ſi ſit identitas eiuſdem ad ſe, hoc erit per opus collatiuum intellectus.

Reſpondeo, Relationem actualem ſemper eſſe inter duo extrema in actu, aut re vera, aut per intellectus conſiderationem: Relationem verò aptitudinalem, non ſemper eſſe inter duo extrema in actu, ſed ſæpe ſolùmodo in aptitudine, qualis eſt identitas eiuſdē ad ſeipſum, quod actu non diſtinguitur, ſed tantum per actum intellectus, qui vtitur vno & eodem vt duobus, comparãdo illud ad ſeipſum. Dico igitur, quòd in obiecto apprehenſo actu recto, fundatur identitas rationis aptitudinalis: non tamen actualis, quia illa ſolùm eſt in

obiecto quod cõparatur ad alterum, vel ad ſe per intellectum. Fateor ergo, quod non datur idẽtitas rationis actualis, ſine actu collatiuo intellectus.

De diſtinctione rationis.

CAPVT V.

Sirec. art. 2. ILLA ratione diſtinguũtur, quę per actũ collatiuum intellectus diſtinguuntur præcisè. Quando igitur idem de ſeipſo prædicatur (quantuncunq; realiter idẽtificentur extrema) ſubiectum & prædicatum ratione diſtinguũtur, quia ſicut contradictio fundata in entibus realibus, concludit realem diſtinctionem, ita contradictio fundata in entibus rationis concludit diſtinctionem rationis. Sed vbi prædicatur idem de ſeipſo (vt homo eſt homo) idem ſecũdum rem ex natura rei, fundat duas ſecũdas intẽtiones oppoſitas, vel ſaltẽ diſparatas: quæ ſunt intẽtio ſubiecti, & intentio prædicati: cùm idẽ ſit ſubiectum & non ſubiectũ, prædicatum & non prædicatum: ergo ratione diſtinguuntur.

Infero quoque quod inter entia realia, & entia rationis (vt inter animal & genus) & inter duo entia rationis (vt inter genus & ſpeciem) eſt diſtinctio rationis, quia non fit niſi per ſolam intellectus comparationem.

Trób. art. 2. Hæc pręſupponunt, quod diſtinctio rationis ſit relatio mutua: & ſic quod in vtroque extremo fundari poſſit, nempe ſuper ente reali, & terminari ad ens rationis & è contra. Si fundetur in ente reali & terminetur ad ens rationis, duplici via probari poteſt ęſſe ens rationis. Prima eſt, ex depen-

den-

dentia ad ens rationis, quoniam cùm relatio depẽ deat ab extremis, quæcunque ab ente rationis dependent, neceſſariò ſunt entia rationis, quia depẽdens ſemper eſt imperfectius eo à quo dependet. Eadem via probatur diſtinctionem fundatam in ente rationis, & ad ens reale terminatam, eſſe ens rationis, quia æque dependet relatio à fundamento atque à termino: ergo relatio quæ dependet à fundamento rationis, eſt ens rationis.

Alia via eſt ex habitudine ad terminum: Relatio enim includit habitudinem ad fundamentum, tanquam aliquid quod eſt paſſio eius, & conuenit ei in ſecundo modo dicendi per ſe, & habitudinem ad terminum tanquam ad aliquid, quod competit ei in primo modo dicendi per ſe: cùm Ariſtoteles in prædicamentis capit. de Ad aliquid, diffiniat reſpectum per habitudinem ad terminum, & non ad fundamentum: ergo eſſentialius dependet relatio à termino quàm à fundamento: ergo diſtinctio fundata in ente reali, & terminata ad ens rationis; neceſſariò eſt ens rationis, ex habitudine ad talem terminum.

Quod autem diſtinctio fundata in ente rationis, & terminata ad ens reale, ſit ens rationis: probatur iterum: Inhærentia diſtinctionis fundata in ente rationis, ſibi identificatur realiter, ſicut paſſio ſuo ſubiecto. Sed iſta inhærentia eſt ens rationis, ergo diſtinctio in qua fundatur ipſa inhærentia, eſt ens rationis, cùm ens rationis non ſibi identificet ens reale. Probo minorẽ, Inhærentia diſtinctionis talis, fundatur in ipſa diſtinctione, & terminatur ad ens rationis: Ergo eſt ens rationis ex habitudine ad terminum ſuum, ergo pariter eſt ens rationis diſtinctio, in qua ipſa fundatur.

Duplex diſtinctio rationis.

CAPVT VI.

Sic rec. art. 2. DVPLEX eſt diſtinctio rationis, vna dicitur rationis ratiocinantis, altera rationis ratiocinabilis: quæ certè eſt realis, vel ſaltem ex natura rei. Cùm enim arguitur, Eſſentia diuina eſt communicabilis, paternitas eſt incommunicabilis, ergo eſſentia diuina diſtinguuntur pluſquam ratione: Reſpondeo, verum eſſe quod diſtinguuntur pluſquam ratione ratiocinante, ſed non pluſquam ratione ratiocinabili, quam diſtinctionem, vocamus ex natura rei. Illa eſt autem naturæ, circa quam poteſt intellectus ratiocinari; vnde natura dicitur ratiocinabilis, quæ poteſt de ſe multos in intellectu poſſibili cauſare conceptus, ſiue reales, ſiue rationis. Hanc tamen diſtinctionem rationis ratiocinantis, conantur quidem fictitiam eſſe diſtinctionem probare, hoc modo: Omnis diſtinctio non vana, ſortitur robur à re aliqua & eſſe, & ſic eſt realis, non rationis tantum: vel ſi non ſortitur robur à re, eſt fictitia.

Reſpondeo, quod ſortitur robur à re, id eſt, à non repugnantia rei ad ſic, vel ſic concipi: vnde ſequitur, talem diſtinctionem non eſſe fictionem. Inſtatur pro præfatæ argumentationis confirmatione, Intellectus intelligens rem aliter quàm ſit, fallitur: ergo ſi intelligat rem eſſe diſtinctam, quæ re vera à parte rei eſt indiſtincta, fallitur.

Reſpondetur, Intellectum duobus modis poſſe rem intelligere aliter quam ſit: Primò, ſub mo-

modo ſuæ naturæ non repugnãti, veluti ſi abſtrahat à materia lineam, eam conſiderando abſque ipſa materia, & hoc modo non fallitur intellectus. Secundò, ſub modo repugnanti, compoſitiuè videlicet & diuiſiuè, hoc eſt, componendo ea quæ componi non poſſunt, vt ſi Deum intelligat corporeum. vel hominem brutum: & diuidendo ea quæ diuidi non poſſunt, vt ſi intelligeret hominem non eſſe rationalem, aut riſibilem, & ſic falleretur intellectus.

Sciendum eſt ergo ex Ariſtotele 3. de Anima textus comment. 21. duplicem (ad propoſitum) eſſe intellectus operationem complexam & incomplexam. Operationi incomplexæ non opponitur falſitas, ſed ſolùm priuatiuè ei opponitur ignorantia: ſed operationi complexæ opponitur ignorantia priuatiuè, & falſitas poſitiuè & contrariè. Operatio autem incomplexa, quædam eſt circa quidditatem ſimpliciter ſimplicem: alia eſt circa quidditatem conſtitutam, quæ in alios reſol uitur conceptus. Intellectus circa quidditatem ſimpliciter ſimplicem, ſemper eſt verus, vt vult Ariſtot. 9. metaph. text. comment. 22. & 3. de Anima, tex. com. 26. cùm dicit, Intellectus circa quod quid eſt, ſemper eſt verus, quemadmodum ſenſus circa propria ſenſibilia: ſed circa quidditatem conſtitutam, licet intellectus non ſemper formaliter ſit falſus: tamen poteſt eſſe virtualiter falſus, ſi apprehendat quidditatem ſub modo ſibi repugnante; veluti ſi apptehenderet appræhenſione ſimplici hominem irrationalem. Et hoc modo dicebat Ariſtoteles 5. metaph. capite de Falſo, quod ratio in ſe falſa, eſt de omni falſa. Modo falſitas iſtius rationis in intellectu, non eſt falſitas Prob. art 2.

L 3 for-

formalis,ſed tantum virtualis. Exempli gratia, Homo irrationalis,non eſt complexio formalis, quẽadmodum illa quæ exprimitur per hoc verbũ eſt, dicendo,Homo eſt irrationalis:ſed ſolum eſt complexio virtualis, ita quod qualis eſt complexio falſa,talis eſt falſitas conſequens ipſam. Intelligendo igitur rem aliter quàm ſit, intellectione ſimplici, quæ eſt tantum præciſiua & abſtractiua, veluti ſi conſideretur vnum ab alio abſtractum, non conſiderando illud à quo fit abſtractio: eo modo quo Mathematicus abſtrahit lineã à materia ſenſibili, intellectus non eſt falſus: ſed intelligendo rem aliter quam ſit,intelligẽtia cõpoſitiua & diuiſiua (& hoc intelligendo aliquã compoſitionem vel diuiſionẽ impoſſibilem, vt dictũ eſt) intellectus eſt falſus formaliter,vel virtualiter. Nec etiã ſequitur,intelligo lineã ſine materia, ergo intelligo lineã eſſe ſine materia:nam intelligo lineã nõ intellecta materia abſtractione præciſiua,& ſimplici intellectione, de qua dicit Ariſtoteles ſecundo phyſicorũ textus commen. 18. ꝙ abſtrahentium non eſt mendaciũ:Et intelligo lineã eſſe ſine materia intellectione complexa,& abſtractione diuiſiua, in qua ſemper eſt mendacium,vt patebit diſcurrenti.

Sirec. art. 2. Fortè dicet aliquis, hanc diſtinctionẽ rationis, eandem eſſe cum diſtinctione ex natura rei: ꝙ ea quæ ratione diſtinguuntur, etiam ex natura rei diſtinguũtur: ſed hæc falſa ſunt, quia ſequeretur,ꝙ illa quę ſunt eadem ex natura rei,diſtinguerentur ex natura rei. Quod probo hanc formando propoſitionem:Eadem ex natura rei,ſunt eadem ex natura rei. ibi eſt diſtinctio rationis, quia idem poſitũ in ſubiecto diſtinguitur à ſeipſo poſito in prædicato, ſed per te ex natura rei diſtinguuntur: ergo

illa

illa quæ ſunt eadem ex natura rei, diſtinguũtur ex natura rei, quod includit contradictionem.

Quomodo inueſtigetur diſtinctio rationis.

CAPVT VII.

CVM igitur intellectus comparat rem realem ad aliam realem, vel realitatem ad realitatem aliam, vel ad ſeipſam: cùm omnia iſta præſupponantur habere eſſe cognitum & intellectum, ſunt fundamenta diſtinctionis vel identitatis rationis. Sire. ctus Trōb art. 3

Similiter quando Res rationis comparatur ad rem realẽ, vt genus ad animal: vel res realis ad rem rationis, vt animal ad genus: vel res rationis ad aliã rem rationis, vt nomen ad verbum; ſemper inter iſta fundatur diſtinctio rationis. Similiter, quãdo iſta cõparantur ſub diuerſis modis concipiendi, diſtinguuntur diſtinctione rationis: ꝙ non tantũ eſt de diuerſis rebus rationis, verumetiã de eadẽ re, ſiue reali, ſiue rationis, concepta ſub diuerſis modis concipiendi: vbi eſt enim vel etiam minima contradictio, ibi eſt diſtinctio, ſaltem rationis.

De identitate ex natura rei.

CAPVT VIII.

ILLA ſunt eadẽ ex natura rei, de quibus duo prędicata cõtradictoria ſecluſo opere intellectus collatiuo, verificari nõ poſſunt, vt homo eſt homo: etenim extrema illius propoſitionis, nullam diſtinctionem ha-

bent, neque habere poſſunt, ſecluſos opere collatiuo intellectus. Nullam enim habent diſtinctionem niſi in ratione ſubiecti, & in ratione prędicati, quòd homo vt ſubiectum differt à ſeipſo vt prædicatum. Ratio autem ſubiecti & prædicati (cùm ſint ſecundæ intentiones, tantum diſtinguuntur virtute intellectus conſiderantis, & comparantis vnum ad reliquum, ergo ſola ratione: ex quo ſequitur, quod extrema illius propoſitionis ſunt eadem ex natura rei.

Sciendum eſt tamen identitatem ex natura rei, & ei oppoſitā diſtinctionem, nempe ex natura rei, poſſe accipi vt quoddam genus ad omnes ſpecies identitatum & diſtinctionum, quæ ſunt præter opus intellectus: & ſic omnis identitas ab identitate rationis. Similiter omnis diſtinctio à diſtinctione rationis dicitur ex natura rei, quia genus eſſentialiter prædicatur de ſuis ſpeciebus. Aliter tamen ſumitur identitas ex natura rei, vt diximus: & ſic non modo ab identitate rationis ſpecie diſtinguitur, verumetiam à formali, reali, eſſentiali, ſubiectiua, & obiectiua. Idem dico de diſtinctione ex natura rei ſpecialiter ſumpta, de qua ſtatim dicemus.

De diſtinctione ex natura rei.

CAPVT IX.

Sirec. art. 2. ILLA diſtinguũtur ex natura rei, de quibus duo contradictoria, ſecluſo opere intellectus, verificari poſſunt. Sic diſtinguũtur modi intrinſeci ab ente; nā præter opus intellectus, ens eſt determinatū, & modi ſunt determinantes. Item eſſentia diuina à modis

ſuis intrinſecis; & quilibet creatura, vt albor à ſua intenſione, roſa à ſua exiſtentia (licèt talis diſtinctio dicatur ſæpe modalis à modo intrinſeco, denominatione ſumpta ab ignobiliori parte.) Ipſi quoque modi inter ſe ex natura rei diſtinguũtur, vel modaliter, vt exiſtentia alboris ab intenſione, infinitas Dei ab æternitate. Diſtinguitur etiam eſſentia diuina ab attributis, & à relationibus ſuis. Item attributa & relationes inter ſe, ſed formaliter, cùm dicant formalitatem poſitiuam.

Diffinitio quoque & diffinitum ex natura rei diſtinguũtur, quia omni opere intellectus ſecluſo, diffinitio eſt conſtituta, & diffinitum eſt conſtitutum. Et hoc ſumendo, diffinitionem & diffinitum pro ſecundario & materiali ſignificato (cùm pro primario & formali tantum ſecundas intentiones importent, quæ ſola ratione diſtinguũtur) quatenus conceptus primarium intentionum important: qui neceſſariò inter ſe diſtinguũtur: aliàs in demonſtratione eſſent tantum duo termini, videlicet terminus ſubiecti, & propriæ paſſionis, ſi diffinitio & diffinitum eſſent ex natura rei idem.

Diſtinguũtur etiam ſaltem ex natura rei, ſubſiſtentia, ſubſtantia, natura, eſſentia, quidditas, & formalitas, inter quæ vltima ratio & infima eſt ſubſiſtentiæ, cùm inter illa ſit ordo naturæ.

Subſiſtentia enim eſt incommunicabilis exiſtentia, vt quo (cùm non communicetur, ſicut forma ſubſtantialis vel accidentalis materiæ) & vt quod (cùm non communicetur, ſicut ſuperius ſuis inferioribus) cùm ſubſiſtentia ſit incommunicabilis exiſtẽtia in natura ſubſtãtiali, ſiue diuina, ſiue creata: ex quo ſequitur, omnem ſubſiſtentiam eſſe ſubſtantiã, ſed nõ è cõtrario: quia forma ſubſtantialis

eſt

eſt ſubſtantia, & tamen non eſt ſubſiſtentia, aut ſubſiſtens, quia materiæ communicatur vt quo in ratione formæ informantis, cùm ſit illud quo tanquam principio formali aliquid habet eſſe: vnde ſi quęratur, quomodo ignis eſt ignis? rectè reſpondebitur, quod à ſua propria ſubſtantiali forma.

Similiter omnis ſubſtantia eſt natura, quia natura 2. metaph. dicitur tam de forma, quàm de materia: ſed non omnis natura eſt ſubſtantia, quia (cùm natura ex Theologis ſit vis inſita rebus ex ſimilibus ſimilia procreans, quæ ratio conuenit omni formæ actiuæ) quantitas & qualitas ſunt naturæ. Omnis etiam natura eſt eſſentia, quia omne quod diffinitur, & omnis ſpecies exiſtens in prędicamento eſt eſſentia: ſed non omnis eſſentia eſt natura, quia relatio eſt ſpecies in prædicamento exiſtens. nec tamen eſt natura, cùm ſit ſterilis naturæ, nec alicuius actionis realis poſſit eſſe principium productiuum. Omnis etiam eſſentia eſt quidditas, ſed non è conuerſo, tum quia quidditas eſt magis abſtracta quam eſſentia: cùm quia ſi cōuerterentur, multiplicato vno, alterū multiplicaretur: & ſic in Deo vbi ſunt multæ quidditates, vtpote entis ſubſtantię, ſpiritus, eſſent multæ eſſentiæ, licèt ſit ibi vnica eſſentia, vt fide credimus. Sic omnis quidditas eſt formalitas, quia omne illud eſt formalitas quod eſt diſtinctè & ſeorſim conceptibile, ſed non omnis formalitas eſt quidditas (capiendo ſtrictè hos terminos, quia ſi largè ſumantur & extenſiuè ſecus eſt) quia differētia eſſentialis eſt formalitas, & tamē non eſt quidditas, ſaltem quò ad modum prędicandi, quia nō prædicat̄ in quid, ſed in quale, neque de ea aliquis prędicat̄ in quid formaliter, neque per modum potentiæ, ſed per modum actus.

Totum

Totum multiplex, & quomodo diſtinguatur à partibus componentibus.

CAPVT X.

TRIPLEX eſt totum, vt ad præſens ſpectat negotium, logicum, phyſicũ, & metaphyſicum. Logicè componitur (meo iudicio, ſaluo meliori) ſecunda intentio cũ ſuo fundamento, vt homo cum ſpecie: item in genere ſecundarum intentionum, inferior ex ſuperiori, & ſua differentia, vt ſpecies pro formali: ex vniuerſali (quod eſt genus ad 5. prædicabilia) & ſua differentia, quam nobis circumloquimur, per hoc complexum, prædicari de pluribus differentibus numero. Hoc modo, inter totum & partes ſuas, eſt ſola diſtinctio rationis, quia homo nõ habet rationem ſpeciei, quò ad ſecundam intentionem ipſius, niſi per actum collatiuum intellectus, nec componuntur partes in ratione generis & differentiæ, niſi per conſiderationem intellectus. Phyſicè componitur totum ex materia & forma, tanquam ex partibus eſſentialibus & intrinſecis, vt homo ex corpore, & anima rationis participe. Tr. 6b. art. 2.

Et hoc modo, non tantum fundatur diſtinctio ex natura rei inter totum & partes, verumetiam diſtinctio realiter. Notandum eſt ergo ex alio colligi diſtinctionem, & ex alio diſtinctionem ex natura rei, & ex alio realem, &c. Nam diſtinctio rationis attenditur penes contradictionem rationis, hæc eſt autem quæ fit intellectus operatione. Diſtinctio verò ex natura rei, ſolum eſt ex hoc, quod aliqua poſſint eſſe fundamenta contradictionis: ita

quod

quod quæcunque ſunt talia, quod de ipſis verificari poſſunt, duo contradictoria ſecluſo omni opere intellectus, illa diſtinguũtur ex natura rei. Non dicõ contradictoria actu de aliquibus duobus verificari ſine opere intellectus, quia affirmatio & negatio ſunt ab intellectu: ſed dico de aliquibus cõtradictoria virificabilia eſſe ex natura rei: ita quod ex natura ſua poſſunt eſſe fundamenta contradictionis realis, omni opere collatiuo ſecluſo. At verò diſtinctio realis penes hoc attenditur, quòd extrema ſe habeant ſicut res & res, exiſtentiæ vel ſubſiſtentię. Hinc clarum euadit, in eodem plures eſſe poſſe diſtinctiones, Exempli gratia, A. & P. ſi conſiderentur vt fundamenta contradictionis, ſi illa contradictio ſit rationis, illa ſola ratione diſtinguũtur. Si ſit ex natura rei, illa ex natura rei diſtinguẽtur. Si conſiderẽtur vt duę formalitates, formaliter diſtinguũtur. Si vt duę exiſtẽtię, realiter: ſi vt duæ naturę aut eſſentiæ, eſſentialiter. Diuerſæ ſunt ergo diſtinctionum rationes. Cùm igitur totum eſſentiale, & partes eius eſſentiales, quæ ſunt materia & forma, poſſint eſſe fundamenta contradictionis ſine intellectus operatione, ex hoc præciſè habent iſta extrema, quod ex natura rei diſtinguãtur, ſed quatenus ſe habent ſicut Res & res exiſtẽtiæ vel ſubſiſtentię, realiter diſtinguũtur diſtinctione nõ mutua: nam licèt partes à toto realiter diſtinguũtur, quod poſſint per ſe & ſeorſim exiſtere ſine toto, non tamen totum diſtinguitur à ſuis partibus niſi terminatiuè, quatenus terminat totam diſtinctionem realem in partibus.

Metaphyſicè, componitur totum ex actu & potentia, ſeu ex realitate actuali & realitate potentiali, vt homo ex animalitate & rationalitate. Et hoc

modo

modo totum & partes ſolum ex natura rei diſtinguuntur. Superius enim eſt formaliter idem inferiori, & hoc ſolo diſtinguitur, quod multiplicabile ſit, inferius non ita. Differentia item in primo modo dicendi per ſe, de eo cuius eſt enunciatur, & ſic eſt ei formaliter eadem. Nec obſtat quod animalitas ab anima ſenſitiua ſumitur: rationalitas verò ab intellectiua: quæ animæ ſenſitiua & intellectiua ab homine realiter diſtinguūtur, cùm anima ſenſitiua ſit in bruto, & intellectiua à corpore ſeparata, ſit in homine. Stat enim quod ipſę Res, à quibus accipiuntur iſti conceptus formales, & obiectiui, videlicet animalitas & rationalitas, diſtinguantur realiter à toto: & quòd ipſi conceptus obiectiui ſolum ex natura rei diſtinguantur.

Obiectiones contra prędicta, & earum notabiles ſolutiones.

CAPVT XI.

VT prædictorum clarius veritas eluceſcat, ſoluendæ ſunt authoritates, & rationes, quę ab aduerſarijs cōtra ea ſolent adduci. Igitur commentator Auerroes, 4. phyſic. com. 17. venit exponendus, vbi dicit, Totum nihil eſſe niſi partium aggregationem: poſtea paucis interpoſitis dicit, quoniam vna quæque partium dicitur aliud à toto, ſed omnes ſimul non poſſunt dici eſſe aliud à toto: Idem 7. metap. com. 20. dicit, quod ſortes nihil aliud eſt, quā animalitas & rationalitas. Si ergo ſortes ſit quoddam totū eſſentiale, animalitas & rationalis ſunt eius partes, & ſortes nō eſt aliud ab iſtis partibus: ergo totū nō eſt aliud Trōb. art. 2.

à par-

à partibus & per conſequens partes non diſtinguũtur à toto: nec totius phyſici realiter, nec totius metaphyſici ex natura rei, quod eſt contra determinata. Reſpondendum eſt ad vtramque authoritatem, partes ſimul ſumptas, non eſſe aliud à toto integratiuè & conſtitutiuè, ita quod partes ſimul ſumptæ conſtituunt & integrant totum, & nihil aliud conſtituit totum quam ipſæ partes.

De primo patet, nam partes cõtinui, ſolum conſtituunt & integrant ipſum, vt duo pedalia conſtituunt & integrant bipedale. De ſecundo etiam patet, nam animalitas & rationalitas ſolùm conſtituunt ſortem, & non aliud eundem conſtituit, ſaltem quidditatiuè. Non ergò ſequitur, ex duabus illis authoritatibus, partes totius phyſici realiter à toto non diſtingui, nec metaphyſici ex natura rei.

Quòd autem totum ſit quædam entitas addita partibus, & diſtincta realiter ab illis, probatur ex verbis Commentatoris: ipſe enim Commentator 7.meta.com.60.quod eſt vltimum, dicit quod compoſitum eſt aliquod additum aliud à componentibus, & non tantum reſultans: & ſic patet iſtam noſtram determinationem non eſſe contra Commentatorem, immò ex mente eius.

Trõb. art. 2. Cõmẽtum illud verè eſt 9. numerando à 4. ca. 3. libr. de Anima, ſi-

Ariſtotelem hanc diſtinctionem ex natura rei cognouiſſe, probetur ex verbis ipſius.

CAPVT XII.

ARISTOTELEM hanc cognouiſſe diſtinctionem ex natura rei, patet ex verbis ipſius 3.de Anima text.com. 9.vbi habet, quòd aliud eſt magnitudo, & magnitudinis eſſe. Caro & carnis eſſe, vult enim alia virtute magni-

magnitudinis eſſe cognoſci & appræhendi, & alia virtute ipſam magnitudinem: Nam eſſe magnitudinis per intellectum appræhenditur, & magnitudo per ſenſum. Sed eſſe magnitudinis, non diſtinguitur realiter neque formaliter à magnitudine, quia quidditas & eſſentia, & illud cuius eſt quidditas, ſunt realiter & formaliter idem, vt patet ex Ariſt. 7. meta. tex. com. 20. vbi habet quod ſingulum quod quid eſt, non eſt aliud à ſeipſo, ſiue à ſubſtantia: igitur non eſt diſtinctio realis inter magnitudinem & eſſe magnitudinis. Et tamẽ concedit, quod ſi inter ipſa eſt aliqua diſtinctio, quod non eſt præciſè rationis, cum extrema ſcilicet magnitudo & eſſe magnitudinis, non ſint entia rationis, tum quòd per diuerſas potentias appræhenduntur.

cut numerat Auerroes, ſed eſt 44. à 1. Com. 3. li. de Anima, cõputãdo quod Com. eſt 127. computando ab initio 2. lib. de Anima.

De rationibus inueſtigandæ diſtinctionis iſtius ex natura rei.

CAPVT XIII.

HÆC diſtinctio ex natura rei, inueſtigatur per quatuor genera oppoſitionis. Primò per relatiuã: Impoſſibile eſt enim eidem omnino ex natura rei, & reſpectu eiuſdem ineſſe relatiuè oppoſita. Vnde ſequitur (cùm mouens & motum ſint relatiuè oppoſita, & iſta competant intellectui agenti & poſſibili) intellectũ agentem & poſſibilem non eſſe idem ex natura rei. Secundò per contrariam, nam calidum, frigidum, album, & nigrum (cùm realiter & eſſentialiter diuerſa ſint) à maiori ad minus ex natura rei diſtinguũtur. Tertiò per priuatiuam, nam eſſentia diuina & paternitas ex natura rei diſtinguũtur: quod il

Sirectus & Tròb. art. 3.

la pluribus perſonis ſit communicabilis, hæc verò ſit incommunicabilis.

Quartò per contradictoriam: nā ſuperius quia eſt communicabile, ab inferiori ex natura rei diſtinguitur, quod ipſum inferius non ęque ſit communicabile. Ex prędictis patet ratio idētitatis & diſtinctionis ex natura rei, quapropter ad alias properamus, & primò ad eam quæ nunc eſt ordine prima, nimirum ad identitatem formalem & ſibi oppoſitam diſtinctionem.

De identitate formali.

CAPVT XIIII.

Trōb. art. 2. IDENTITAS formalis, eſt eorum quorum vnum alterū includit in ſua ratione formali, & in primo modo dicendi per ſe, igitur diffinitio eadem eſt formaliter diffinito & genus ſpeciei, & differentia formaliter ſuo conſtituto, & modus intrinſecus: etiam ſuo conſtituto eſt formaliter idem, ſaltem negatiuè (vt dictum eſt) quod non habeat diſtinctam formalitatem, licèt non poſitiuè, quòd non ſit de eſſentia eius, vt dictum eſt abundè.

De inferiori certum eſt ipſum nō eſſe idem formaliter ſuo ſuperiori, quod ſit illi accidens. Quod ſi obijciatur, Doctoris ſubtilis diffinitio de identitate formali, qua dicit: Voco autem idētitatem formalem vbi illud quod eſt idem includit illud cui ſic eſt idem in ratione ſua formali, & per ſe primò modo ex qua concluderetur (cùm inferius includat ſuum ſuperius, & non è contra) inferius formaliter eſſe idem ſuo ſuperiori.

Reſpon-

Reſpondeò, quod ſi Scotus illam det diffinitionem, quod vult intelligi illam ad hunc ſenſum: Inferius eſt idem formaliter ſuperiori terminatiuè, quia relatio formalis identitatis inter ſuperius & inferius fundatur in ſuperiori, & terminatur ad inferius, ſicut diximus totum à partibus ſuis realiter diſtingui, quod talem terminet diſtinctionem. Sciendum eſt tamen, identitatem formalem quandoque eſſe mutuam, vt inter diffinitum & diffinitionem: ſicut enim animal rationale eſt homini formaliter idem, ita è cōtra: ſæpe tamen eſt non mutua, vt inter ſuperius & inferius, nam animal eſt homini formaliter idem, ſed homo ab animali diſtinguitur etiam realiter.

De diſtinctione formali.

CAPVT XV.

DISTINCTIO formalis, eſt eorum quorum vnum non eſt de conceptu formali alterius: ſic quod vnum abſque alio diſtinctè concipi poſſit.

Ex quò ſequitur, eſſentiam diuinam à relationibus formaliter diſtingui, quia conceptus abſoluti, non includit conceptum reſpectiui, nec è contrariò. Similiter ipſe relationes inter ſe, necnon intellectus & voluntas, omniaque attributa inter ſe & eſſentia diuina, & à relationibus formaliter diſtinguuntur.

Quòd tamen non ſint in Deo plures formalitates (contra prædicta) ſic argui ſolet. Formalitas dicitur à forma, ſed in Deo non ſunt plures formæ, ergo nec plures formalitates. Reſpondetur, for-

malitatem ſumi à forma quæ eſt conceptus obiectiuus (non à forma partis aut totius aut accidentali, &c.) & ſic in Deo non eſt inconueniens plures eſſe formas. Sed poſito quod formalitas dicatur à forma generaliter ſumpto vocabulo, nō adhuc ſequitur in Deo plures eſſe formas. Licet enim in Deo plura ſint eſſentialia ſecundum B. Dionyſium, ibi vnica eſt & ſimpliciſſima eſſentia. Non enim valet conſequutio à plurificatione conſequentis & poſterioris ad plurificationem antecedentis & prioris, maximè in diuinis. Stat enim vnitas ſubſtantiæ cum multis accidentibus, & vna ſuperficies multos habet colores, & multas ſimilitudines, & ſtante vnitate vniuerſalis particularia multiplicantur: ſic in diuinis, cùm multiplicitate eſſentialium prædicatorū ſtat vnitas eſſentiæ. Adde quod à plurificatione abſtractorum non ſequitur multiplicatio cōcretorum: vnde licet bona ſit hæc conſequentia, Iſte homo eſt ſciens vel qualis, ergo habet ſcientiam vel qualitatum: tamen non ſequitur iſte homo habet plures ſcientias vel qualitates, ergo eſt plures ſcientes, vel plures quales: nam concretum denominatiuum ſignificans formam accidentariam, ſignificat ipſam formam, connotando ſuppoſitum, quod eſt prius forma, & tale concretum denominatiuum, nunquam multiplicatur ad plurificationem formæ accidentalis, niſi ratio ſuppoſiti multiplicetur, ſicut in exēplo propoſito patet: quia cum tali pluralitate formarum accidentalium, ſtat vnitas ſuppoſiti habentis tales formas: & ita conſequentia non valet à plurificatione formæ ad plurificationem concreti importantis ipſam, & connotantis ſuppoſitum in quo recipitur ipſa forma.

Obij-

Obijci poteſt etiam, nihil ponendum eſſe in diuinis, niſi quod habetur à ratione naturali, vel à fide, vel à ſacra Scriptura, vel ab aliquo doctore authentico: ſed iſtę formalitates non habentur ab aliquo iſtorum, ergo in diuinis non ſunt ponendæ.

Reſpondeo, has formalitates in Deo eſſe haberi à ratione: nam ſicut ex vna propoſitione contingenti, & vna neceſſaria infertur vna de contingenti, ex 1. priorum: ita ex vna credita, & ex alia naturaliter cognita, per bonam conſequentiam infertur vna credita. Modo ſic eſt quod credimus (nullo naturali lumine inducti) diuinam eſſentiam eſſe communicabilem tribus perſonis, ſine ſui multiplicatione & eandem eſſe abſolutiſſimã: Paternitatem autem nec cõmunicabilem eſſe, nec communicari, nec eſſe ens abſolutum: ergo oportet vt fateamur, ibi diuerſas eſſe formalitates. Scotus 1. ſent. d. 2. 6. q. vnica.

Authoritas etiam illud docet, nam dicit B. Aug. Alio Pater eſt Pater, & alio Pater eſt quaſi diceret, alio Pater quo Deus: quia Pater eſt eſsẽtia diuina, ſed eſt Pater paternitate, ergo in diuinis ponenda eſt diſtinctio formalis inter eſſentiã & relationẽ. Quinimò eadem eſt inter voluntatem & poteſtatẽ, cũ dicat beatus Hilarius lib. de Trinit. qđ non efficit creaturam volũtas Dei, ſed poteſtas: ergo quãdã ponit diſtinctionẽ inter voluntatẽ & poteſtatẽ. Hęc elici poſsũt ex lib. 7. de Trinit. ca. 2. & 4. Item ex té. 8. in Pſal. 68.

Probatur etiam, præſuppoſita opinione Scoti 1. ſent. diſt. 26. q. vnica, & B. Thomæ 1. parte q. 40. art. 2. quæ innititur verbis D. Auguſt. 5. de Trinit. cap. 8. & Boetij in fine lib. de Trinit. quod perſonæ diuinæ conſtituuntur eſſentia & relatione, vtpote, Pater eſſentia & paternitate, Filius eſſentia & filiatione, Spiritus ſanctus eſſentia & ſpiratione paſſiua. Diſtinguuntur quoque per ſuas re-

lationes notionales à ſe inuicem. Non tamen (vt infertur) eſt æquiuoca generatio in diuinis, neque ſpecie differunt perſonæ diuinæ, nec propriè numero (vt docet Magiſter ſent. lib. 1. diſtinct. 19.) ſicut Socrates & Plato, qui ſuas habent eſſentias diſtinctas, cùm vnica ſit eſſentia in tribus perſonis. Licèt fortè apud D. Ioannem Damaſcenum dicantur numero differre, quòd tres faciant vnitates, quæ enumeratione ſeorſim computantur, vt ſi dicerem, Pater eſt vnus, Pater & Filius ſunt duo, Pater & Filius & Spiritus Sanctus, ſunt tres. Sed hæc intelliguntur perſonaliter non eſſentialiter. His dictis ex analogia ad compoſitum metaphyſicè ex materia & forma (hoc eſt, ex genere & differentia) probari poteſt in Deo eſſe plures formalitates, & formaliter diſtinctas, nam in homine formaliter à ſe inuicem diſtinguũtur animalitas & rationalitas, ergo à ſimili in diuinis eſſentia & paternitas, vel ſpiratio paſſiua, vel filiatio & ipſa paternitas.

Eſſentia diuina eſt ex ſe ſingulariſſima.

CAPVT XVI.

Sirec. art. 2. ARGVI etiam ſolet in Deo non eſſe diſtinctionem formalẽ, in quarto modo (nempe ferio) primæ figuræ, hoc pacto: Nulla eſſentia diuina, diſtinguitur formaliter ab eſſentia diuina (quia nihil ex natura rei, aut formaliter à ſe diſtinguitur) ſed Paternitas eſt eſſentia diuina. Similiter filiatio, ſapientia, bonitss, &c. Minor eſt catholica, ergo Paternitas non diſtinguitur formaliter ab eſſentia diuina. ſic de attributis omnibus concludi poteſt.

Reſpon-

Reſpondetur, tales argumentationes non valere, quia non regulantur per regulas. Dici de omni, vel dici de nullo. Et ſic maior eſt falſa: nam in propoſitione quæ eſt de nullo, debet poni nihil quod eſt: & in propoſitione quæ eſt de omni, debet poni omne quod eſt: & tunc cùm dicitur, Nihil quod eſt, eſſentia diuina diſtinguitur ex natura rei, vel formaliter ab eſſentia diuina, illa propoſitio eſt apertè falſa: Nulla enim fit in illa propoſitione diſtributio, neque in termino neque extra terminum: quia eſſentia diuina eſt terminus diſcretus, & magis ſingularis quam hic homo, vel ſortes: quia ſortes habet differentiam materialem, quæ conſtituitur in eſſe indiuidui, ſed eſſentia diuina eſt de ſe hæc, non per aliquod adueniens: quinimò eſt actus puriſſimus & ſimpliciſſimus, includens in ſe vltimatam actualitatem. Non ergo aliquo modo diſtribuitur hic terminus eſſentia diuina, cùm nihil diſtribuatur niſi ſit vniuerſale. Terminus autem diſtribuitur in ſe, quando diuiditur in plura, quantum ad ſuum ſignificatum formale, quæ diuiſio & enumeratio repugnat eſſentiæ diuinæ. Diſtributio fit extra terminum, quando terminus diſtributus, non ſolum diſtribuitur quantum ad ſignificatum formale, verumetiam quantum ad materiale, hoc eſt, quantum ad ſuppoſita quæ connotat, & concernit, quæ ſunt extra ſignificatum formale, & proprium termini communis diſtributi.

Quo modo diſtinguantur concretum & Abſtractum.

CAPVT XVII.

Sirec. art. 2.

SI quæratur, vtrũ concretum & abſtractũ diſtinguantur ex natura rei an formaliter, Reſpondendũ eſt ipſa poſſe conſiderari duobus modis, pro formali ſignificato & materiali. Pro materiali, concretũ & abſtractũ ſaltẽ ex natura rei diſtinguuntur: nã de albore poteſt dici forma, & non de albo, etiã actu collatiuo ſecluſo, ſed forma & nõ forma cõtra dicũt: ergo hoc modo ex natura rei diſtinguũtur. At verò pro formali, ſola ratione diſtinguũtur, nã Pater & paternitas non diſtinguũtur niſi per modos ſignificãdi grãmaticales, qui ſunt in voce ab intellectu. Et ſi dicas, iſtã cõcedi, Homo eſt riſibilis, iſtã verò negari, Humanitas eſt riſibilitas, quia humanitas eſt vltima abſtractione abſtractũ, vnde cõcludere, voles aliquam eſſe realem diſtinctionem inter hominem & humanitatẽ? Dico vt prius, illam diſtinctionẽ eſſe penitus ab intellectu, & ꝓpter modos ſignificandi grãmaticales, & ſic ſola ratione diſtinguũtur. Si enim in re ſtemus præciſè, reperiemus omnia quæ in homine ſunt, ineſſe humanitati.

Rationis 5. inueſtigandæ diſtinctionis formalis.

CAPVT XVIII.

Sirec. art. 3. & Trõbet. eodem loco.

RATIONIBVS quinque, ſolet hęc formalis diſtinctio inueſtigari. Et primò per viã excluſionis: Omnia enim illa quę ſic ſe habent, quod vnũ non eſt de conceptu alterius quidditatiuo, illa formaliter diſtinguuntur.

tur. Deinde 2. per diffinitionem, nam quæcunque diuerſas habent diffinitiones, quarum vna non includitur in alia, illa formaliter diſtinguuntur. Notanter dicitur quarum vna non includitur in alia, quia certum eſt hominem & animal eſſe formaliter idem (licet non mutua & adæquata identitate) tamen diſtinctas habent diffinitiones, quia hæc diffinitio ſubſtantia animata ſenſitiua, non eſt iſta ſubſtantia animata rationalis. Sed hæc aliã includit 3. via deſcriptionis. Quorum deſcriptiones ſunt diuerſæ: Illa formaliter diſtinguuntur, intelligendo per deſcriptionem, orationem rei alicuius declaratiuam, per genus & propriam paſſionem: Quia quorum paſſiones ſunt diuerſę rationes, etiam formales ſunt diuerſæ, cùm paſſio fluat à ratione formali ſubiecti. Quarta via demonſtrationis, nam quandocunque aliquid de vno demonſtrari poteſt, & non de alio, illa formaliter diſtinguuntur. Cùm enim paſſio ſit effectus ſubiecti, & habeat cauſam intrinſecam in ipſo, quæ eſt propria ratio formalis ſubiecti: ſi effectus ſint oppoſiti & incompoſſibiles, rationes formales ſubiectorum erunt quoque oppoſitæ & incompoſſibiles: non ſimpliciter quod non poſſint eſſe in vno & eodem ſuppoſito, ſed ſecundum ſe, & quo ad rationes formales ſubiectorum, quod vnum & idem aſſignari non poſſit cauſa per ſe vnius paſſionis & alterius, de diuerſis demonſtrabilium. 5. via reduplicationis, quia quando aliquid alteri conuenit, quatenus tali & non alij: ſicut viuere competit forti in quantum homini & non lapidi, illa formaliter diſtinguuntur.

Vnde ſumantur identitas, & diſtinctio realis.

CAPVT XIX.

IDENTITAS realis, & ei oppoſita diſtinctio, deriuantur à re exiſtentiæ, vel ſubſiſtẽtiæ, & non à re opinabili, vel à re eſſentię. In diuinis autem, Res ſumitur quādoque eſſentialiter, alio modo perſonaliter. Eſſentialiter vnica res eſt in diuinis, ſingularis & vnica exiſtentia abſoluta exiſtens. Notionaliter ſunt tres res ſuppoſitales in diuinis, & perſonales, ita vt ibi ſint tres ſubſiſtentiæ, in quibus eſſentia diuina ſubſiſtit, licèt à ſe exſtat. Sic loquitur D. Auguſtinus tom. 3. lib. 1. de doct. Chriſtiana, capi. 5. cùm dicit, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus ſunt res quibus fouendum eſt, hoc eſt, ſunt res propter ſe diligendæ, & hæ tres res, ſunt vna ſumma res. Cùm enim dicit tres res, denotat ſuppoſita, & cùm dicit, Vna ſumma res, denotat rem eſſentialiter acceptam.

Identitas realis.

CAPVT XX.

Sirec. art. 1. REALITER illa ſunt idem, quę ſic ſe habent, quod vnum non poteſt eſſe ſine alio: ſi talis inſeparabilitas procedat à cauſa intrinſeca, & vnum nō eſt originās, & aliud originatum, & nō ſunt in pluribus realiter diſtinctis, & vnum ab alio non dependet. Omnes iſtæ cōditiones ſunt copulatiuæ accipiendæ, cum non ſufficiat vna ſine alia. Probatur prima conditio,

Cœlum

Cœlum non poteſt eſſe ſine motu ex Ariſt. non quidem ex cauſa intrinſeca, ſed ex intelligentia mouente, non tamen ſequitur, cęlum eſſe realiter motum. Item non poteſt eſſe ſimile ſine ſimili, tamen realiter diſtinguũtur, quia talis impoſſibilitas ſeparationis procedit à relatione, quæ vtrique extremo eſt extrinſeca. Secunda conditio ſic probatur, conſequentia non valet: Filius diuinus non poteſt eſſe ſine Patre, ergo eſt illi realiter idem, quia vnus eſt originans, & alter originatus. Tertia conditio eſt propter relationes, quæ licèt non ſic ſe habeant, quod vna poſſit eſſe ſine alia, vel quod vna ſit producens & alia producta: quia tamen ſic ſe habent, quod fundantur in pluribus realiter diſtinctis, ſicut patet de paternitate & filiatione, & de duabus ſimilitudinibus & æqualitatibus, ideo realiter diſtinguuntur. Quarta conditio ponitur propter accidentia quę à ſubiecto naturaliter non ſeparantur (vt legitur 1. phiſic. tex. com. 39. Intellectus quęrens ſeparationem paſſionum à ſubiecto, quærit impoſſibile. Eadem docet tex. com. 11. eiuſdem libri, & 7. meta. tex. com. 4.) ex quo videntur ab eo ſaltem quoad exiſtentiam dependere, & ſic ſine eo exiſtere non poſſunt, tamen ab eo realiter diſtinguuntur.

Ex prædictis concludo, omnia quæ in diuinis ſunt (cùm vnica exiſtentia abſoluta exiſtant) ſiue eſſentialia, ſiue notionalia, ſiue appropriata, ſiue attributa, eſſe realiter idem, cum eſſentia diuina, non tamen perſonas diuinas inter ſe ſed cum eſſentia diuina.

Concludo ſecundò, Omnes differentias eſſentiales & modos intrinſecos: omnes denique paſſiones vnius ſuppoſiti realiter identificari, quia non habent

habent propriam exiſtentiam, qua poſſint ſine ſuppoſito exiſtere, ſicut nec ipſum ſuppoſitum ſine illis exiſtere poteſt.

Concludo tertiò, Omne ſuperius eſſe realiter idem ſuo inferiori: Quod ſi dicas, ſuperius ab inferiori ſeparari, ergo diſtingui: Reſpõdeo, Illud non ſeparari ſecundum propriam exiſtentiam, quia ſuperius non exiſtit niſi in inferiori, & ſic non diſtinguitur realiter: vnde propoſitio iſta: Quæcunque ſunt ſeparabilia diſtinguũtur realiter, non eſt vera, niſi de illis quæ ſeparata habent propriam exiſtentiam. Arguitur, Homo exiſtit in platone, ſorte deſtructo & corrupto: ergo homo realiter diſtinguũtur à ſorte. Dicendum eſt, Iſtas duas propoſitiones indefinitas & ſub contrarias eſſe veras: Homo diſtinguitur realiter à ſorte, & homo non diſtinguitur realiter à ſorte. Prima vera eſt, quatenus homo exiſtit in platone, ſecunda quatenus exiſtit in ſorte. Nec iſta contradictionem includunt, quia ſunt reſpectu diuerſorum. Hęc autem quę de iden-
Trõb. art.2. titate reali & diſtinctione ſibi oppoſita dicuntur: fundantur ſuper dicto Ariſt. 4. meta. tex. com. 3. vbi vult quod ideo ens homo, & vnus homo ſunt idẽ realiter, quia non ſeparantur in generatione & corruptione. Hinc apud eundem valet iſta conſequentia: Ens homo, & vnus homo, non ſeparantur in generatione & corruptione, ergo ſunt idem: ergo illud quod generatur alio genito, & corrumpitur alio corrupto, nõ diſtinguitur ab eo, ſine quo non poteſt generari aut corrumpi, ſi illa impoſſibilitas ſeparationis à natura intrinſeca & ſine aliqua dependentia procedat. *Sic* etiam apud B. Auguſt. de Trinit. cap. 5. Cùm eadem magnitudo poſſit hunc ſuſcipere colorem & alium, ſic vnum vel vtrumque

que perdere eadem manens. Conſequentia iſta bona eſt: Magnitudo manet, color non remanet, ergo color & magnitudo non ſunt realiter eadem. Neque poteſt probari efficaciter hominem non eſſe brutum, niſi quia homo exiſtere poteſt nullo exiſtente bruto. Falſum eſt ergo propriam paſſionem à ſubiecto realiter diſtingui (vt quidam dicunt) cùm ſubiectum abſque ea non poſſit eſſe, neque ipſa ſine ſubiecto: Quia eadem generatione ſimpliciter & adæquatè generatur, & ab eodem generante, alias ſubiectum ſine propria paſſione eſſe poſſet, antequam ipſam produceret, vel ab alio agente produceretur, quod eſt omnino abſurdum.

Illa quæ ſunt in potentia obiectiua, nec ſunt eadem realiter, nec diſtinguuntur.

CAPVT XXI.

NON ſunt eadem realiter, nec realiter diſtinguũtur illa quæ ſunt in potentia obiectiua, veluti duæ roſæ futuræ: nec ens in potentia & aliud in actu, vt Petrus exiſtens & Antichriſtus (ne quis hæſitet vel in his etiam minutiſſimis) quia diſtinctio realis (vt clarum eſt ex dictis) ambo extrema actu exiſtentia requirit. Eſt enim diſtinctio realis illa cuius extrema habent aliam & aliam realitatem, formaliter poſitiuam, actualiter exiſtentiæ, vel ſaltem ſubſiſtentię. Dicitur aliam & aliam realitatem, propter ſubiectum & propriam paſſionem quæ non realiter diſtinguuntur, quia non habent niſi vnam realitatem exiſtentiæ. Dicitur formaliter poſitiuam, propter negationes & priuationes: Dicitur actualis exi- Sitec. art. 2.

exiſtentiæ, propter quidditates diuerſarum ſpecierum, quia quidditas vt quidditas non habet exiſtentiam per ſe. Dicitur vel ſaltem ſubſiſtentiæ, quia in diuinis eſt vnica ſola exiſtentia, licèt ſint ibi tres ſubſiſtentiæ. Quod ſi dicas, exiſtentia eſt magis communis quam ſubſiſtentia, & quaſi aliquod ſuperius ad illam: ergo vbicunque eſt ſubſiſtentia eſt exiſtentia. Concedo hæc omnia. Et ſi inſtes, Sed in diuinis ſunt tres ſubſiſtentiæ, ergo tres exiſtentiæ, nego conſequens: quia ad pluralitatem poſterioris (vt dictum eſt) non ſequitur plurificatio prioris. Præterea, cùm eſſentia & exiſtentia, hoc ſolo differant, quod exiſtentia connotat rem extra cauſam ſuam (quod in diuinis eſſe non poteſt) ſequitur vnicam eſſe exiſtentiam, vbi vnica eſt eſſentia & natura. Ideo prædicta argumentatio non concludit, ſicuti nec iſta ſibi ſimilis. Pater eſt Deus, Filius eſt Deus, Spiritus Sanctus eſt Deus: ergo ſunt tres dij, quia eſſentialia in diuinis, in plurali numero non enunciantur. Poterit tamen dici tres in diuinis eſſe relatiuas exiſtentias, ex Trombetæ mente art. 2. licèt vnica ſit abſoluta: & ſic facilis eſt argumenti diſſolutio.

De diſtinctione reali.

CAPVT XXII.

Trec. art. 2.

ILLA diſtinguũtur realiter, quæ ſic ſe habent diſiunctiuè, quod vnum poteſt eſſe ſine alio, vt homo & lapis: vel quod vnum eſt producens, & alterum productum, vt cauſa & effectus: vel quæ ſunt in pluribus realiter diſtinctis, vt paternitas & filiatio: vel quod

vnum

vnum ab alio dependet, vt creatura à Creatore. Dixi diſiunctiuè, quia ad inferendam diſtinctionem realem, ſufficit vna iſtarum conditionum.

Concludo igitur, omnes res diuerſorum generum actualiter exiſtẽtes indiuidua, tam eiuſdẽ ſpeciei quàm diuerſarum actu exiſtentia, totum phyſicum (vt dictum eſt) & ſuas partes, necnõ materiam & formam realiter diſtingui. Concludo 2. tres diuinas perſonas inter ſe realiter diſtingui, licèt vna ſine alia exiſtere nõ poſſit, quod ſeparari nõ poſſunt propter vnitatẽ eſſentiæ: nam licèt habeãt eandem exiſtentiam abſolutam, quia tamen habent tres exiſtentias relatiuas, propter hoc realiter diſtinguuntur. Addo, quod diſtinctio realis ſemper eſt inter res ſubſiſtẽtiæ, ſed in diuinis (vt dictũ eſt) tres ſunt ſubſiſtentiæ: ergo inter illas eſt realis diſtinctio.

Contra prædicta argui poteſt hoc modo, Quæcunque vni & eidem ſimpliciter ſunt eadem, illa inter ſe ſunt eadem. 1. priorum & 1. phyſicorum: ſed perſonæ diuinæ ſunt idem realiter eſſentiæ, ergo ſunt idem realiter inter ſe.

Dico regulam illam debere intelligi quod ſi aliqua vniantur, vel identificentur realiter, vni tertio incommunicabili, illa etiam identificabuntur inter ſe: ſi verò illud tertium ſit communicabile, ſicut eſſentia diuina quæ tribus perſonis communicatur, non oportet quod illa in tertio identificata inter ſe identificentur. Et ſic licèt perſonæ diuinæ in eſſentia idem ſint, quia ipſa eſſentia eſt communicabilis, non minus inter ſe realiter diſtinguuntur. Sitec. art. 2.

Ex prędictis concludo tertiò quatuor modis inueſtigari diſtinctionem realem: Primò per viam generationis, quia illa realiter diſtinguũtur, quorũ

vnum

vnum generatur alio non generato. Secundò per viam corruptionis, cùm illa realiter diſtinguantur, quorum vnum corrumpitur altero non corrupto. Tertiò per viam originis, quia cùm originans præhabeat naturam quam originato communicat: ſequitur quod inter illa eſt ſemper diſtinctio realis. Quartò per viam ſeparationis exiſtentiæ: ſi enim lapis à ligno ſeparari poſſit, ſequitur inter ea eſſe realem diſtinctionem.

De identitate eſſentiali.

CAPVT XXIIII.

Sirec. art. 2. NVNC de identitate eſſentiali dicendum eſt: Illa eſt autem qua aliqua identificantur vni eſſentiæ ſingulari & exiſtenti. Et ſic inter idētitatem eſſentialem & realem, non eſt differentia, niſi in diuinis, quia licèt tres perſonæ diuinæ ſint eadem realiter vni eſſentiæ ſingulariſſimæ, & per conſequens ſint idem eſſentialiter, non tamen ſunt idem realiter inter ſe, quòd ſint (vt dictum eſt) tres ſubſiſtentiæ.

In creaturis verò, omnia quæ eſſentialiter ſunt eadem, etiam ſunt realiter eadem. Illa autem quæ ſunt eſſentialiter eadem, non ſolum eandem ſubſiſtentiam vel exiſtentiam habent, verùmetiam eandem naturam & eſſentiam ſingularem. Vnde diſtinctio & identitas eſſentialis diſtinguitur à reali, quia realis fundatur ſuper rei exiſtentia vel ſubſiſtentia, & eſſentialis ſuper natura exiſtente. Notandum eſt autem, non omne illud quod alicui eſt eſſentialiter idem, eſſe de eſſentia eius (licèt omne quod eſt de alicuius eſſentia, ſit illi eſſentialiter idem)

ĩdem) quia ſubiectum & propria paſſio ſunt eſſentialiter idem, cùm eadem habeant naturam ſingularem exiſtentem, ſecundum quam ſunt inſeparabilia: Neutrum tamen eſt de alterius eſſentia, quia neutrum de alio in primo modo dicendi per ſe, prædicatur. Non enim paſſio prædicatur de ſubiecto in primo modo dicendi per ſe, neque è contra, cùm ſubiectum non cadat in diffinitionem paſſionis, niſi vt additum ex 7. metaphyſicæ.

De diſtinctione eſſentiali.

CAPVT XXIIII.

ESSENTIALITER illa diſtinguũtur, quæ habent diuerſas naturas, ſiue eſſentias realiter diſtinctas, vt indiuidua omnia inter ſe eiuſdem ſpeciei vel diuerſarum. Sciendum eſt autem, diſtinctionem & identitatem eſſentialem requirere duo extrema poſitiua & exiſtentia, cùm hoc conueniat omni diſtinctioni quæ eſt præter opus intellectus. Quia accidens (qualis eſt relatio quæ eſt diſtinctio) non poteſt verius eſſe habere quam ſuum ſubiectum vel fundamentum, & ſic inter negationes & priuationes, & inter poſitiua & priuatiua, non poteſt fundari diſtinctio eſſentialis. Si ergo quęratur cũ nõ ſim idẽ realiter & eſſentialiter Antichriſto, Nonne bene ſequitur, quod ſum realiter & eſſentialiter ab eo diſtinctus? Reſpondeo quod nõ, ſed bene ſequitur, quòd ſum illi non idẽ, quia non idem latius eſt quã diſtinctum, vt iam ſuperius dictũ eſt. Cùm autem (vt dictũ eſt) hęc diſtinctio à reali nõ ſeparetur niſi in diuinis, ſequitur ijſdẽ vijs, hanc inueſtigari, Sirectus & Tröb. art. 2.

quibus

quibus inueſtigatur illa. Quapropter quæ de illà dicta ſunt, iſti per analogiam deſeruire poterunt.

De identitate & diſtinctionis ſubiectiua.

CAPVT XXV.

Sirectus & Tròb. art. 2.

DVOBVS modis dicitur identitas ſubiectiua, & totidem ſibi oppoſita diſtinctio. Primò modo illa ſunt eadem ſubiectiuè, quæ quidditatiuè conueniunt in aliqua realitate potentiali, contrahibili per differentiam formalem. Ex oppoſito de diſtinctione ſubiectiua conuenit iudicare. Ex quibus ſequitur, omnia illa quę idem genus includunt, eſſe eadem ſubiectiuè, & ex aduerſò omnia prædicamenta (quod non habeant ſuprauenîens genus) ſimiliter Deum & creaturam ſubiectiuè diſtingui, atque diuinas perſonas, tum quia in genere non ſunt, cùm quia eis repugnat realitas potentialis, quod ſaltem identicè, & ratione eſſentiæ quam includunt ſint infinitæ. Vnde ſequitur identitatem ſubiectiuam eſſe inferiorem ad obiectiuam: quæcunque enim quidditatiuè conueniunt, in aliqua realitate potentiali & contrahibili, in aliquo communiori quidditatiuè conueniunt, ratione cuius ſunt idem obiectiuè: nã quæcunque in realitate contrahibili conueniunt, etiam in determinabili conueniunt: ſed non è contrario, quia omnia genera ſuprema conueniunt in ente determinali, per modis & in nullo contrahibili per differentias. Hoc modo diſtinctio obiectiua (quę eſt eorum quę in nullo cõmuni reali quidditatiuè conueniunt, vt ſtatim dicetur) ſuperior eſt ad ſubiectiuam. Non enim poſſunt quæ in nullo com-

communi quidditatiuo conueniunt, in realitate potentiali conuenire. Concludo igitur cum Sireсto, quod omnia quæ ſunt ſubiectiuè idem, ſunt quoque idem obiectiuè, licet non è conuerſo. Et quæcunque diſtinguuntur obiectiuè, etiam ſubiectiuè diſtinguuntur, ſed non è conuerſo.

Alius modus identitatis & diſtinctionis ſubiectiuæ.

CAPVT XXVI.

SECVNDO modò ſumitur identitas ſubiectiua, pro ea qua plures realitates in eodem eſſe poſſunt, vel per identitatē realem, vel per modum informātis, aut informabilis: vnde concludo, omnia quæ ſunt in diuinis, & omnia quę in eodem ſunt indiuiduo, ſiue ſuperiora, ſiue accidentia, abſoluta aut relatiua, eſſe idem ſubiectiuè.

Notandum eſt interim, aliqua in vno numero conuenire duobus modis, indiuidualiter & ſuppoſitaliter (ſic enim loquitur Trombeta rei explicandæ gratia) primo modo, vt ſunt quæcunque in vno indiuiduo & ſingulari cōueniunt, vel per modum informantis, vel informabilis, vel per realem identitatem. Secundò, vt ſunt quæcunque in vno ſuppoſito conueniunt, & ſic ſecundum infert primum, quia ſicut omne ſuppoſitum eſt indiuiduū, & non è contra; ita omne idem ſubiectiuè ſuppoſitaliter, eſt idem ſubiectiuè indiuidualiter, & non è contra. Ex quo ſequitur, quod cùm omnia quæ ſunt in diuinis cōueniant in vno indiuiduo ſingulari, quod eſt hic Deus, & ei realiter idētificentur, illa ſunt eadem ſibi ſubiectiuè indiuidualiter, ſed

N non

non ſuppoſitaliter: quia aliquid eſt in vno ſuppoſito, & non in alio, ſicut paternitas eſt in Patre & nō in Filio. Ex oppoſito illa ſubiectiuè diſtinguūtur, quorum realitates in eodem numero ſimul eſſe non poſſunt, neque per modum informantis, neque informabilis, neque per realem identitatē. Sequitur ergo, duo indiuidua eiuſdem ſpeciei maximè de prædicamento ſubſtantiæ, & alterius ſpeciei completæ, eiuſdem prædicamenti, ſubiectiuè diſtingui. Dicitur eiuſdem ſpeciei, quia duo indiuidua diuerſarum ſpecierum ſimul exiſtere poſſūt, vt homo & albor, albor & ſuperficies in corpore, ſcientia & virtus in anima, & ſic non diſtinguūtur ſubiectiuè: item duo contraria præſertim in gradibus intenſis, & duo relatiuè oppoſita, præſertim in relationibus diſquiparentiæ, & differentiæ formales diuidentes genus, & materiales in diuidua conſtituentes, ſubiectiuè diſtinguūtur, ſic ergo inueſtigatur hæc diſtinctio. Quando aliqua actu ſecundum eſſe exiſtentiæ vel ſubſiſtentiæ ſimul eſſe non poſſunt, illa ſubiectiuè diſtinguuntur.

De identitate & diſtinctione obiectiua.

CAPVT XXVII.

Sire-ctus & Tr6b. art. 2.

FINIS erit explanationis identitatum & diſtinctionum, vbi pauca de obiectiua dixerimus, de qua nonnulla iam in præcedētibus accepiſtis. Igitur illa ſunt obiectiuè idē, de quibus poteſt prædicari aliquod prædicatum quidditatiuè, ſiue tranſcendens, ſiue limitatum: ſiue dicat realitatem potentialem, ſiue ſolum conceptum realem. Ergo Deus & creatura

&

& decem prędicamenta, ſunt idem obiectiuè, quia omnibus iſtis correſpondet vnus conceptus realis communis entis, qui de illis quidditatiuè prædicatur. Illa verò diſtinguuntur obiectiuè, de quibus nullum prædicatum quidditatiuè enunciatur. Ergo paſſiones entis de quibus ens quidditatiuè non prædicatur (à maiori nec aliud prædicatum) Differentiæ vltimæ & materiales, propriæ paſſiones, & modi intrinſeci, & generaliter omnia primò diuerſa inter ſe & à quocunque alio, obiectiue diſtinguuntur, ſiue ab ente, ſiue à ſubiecto cui realiter identificantur. Igitur ſic inueſtigatur hæc diſtinctio, quæ in nullo quidditatiuè conueniunt, obiectiuè diſtinguuntur.

Sciendum eſt, interim pro prædictorum declaratione, Differentiam dici vltimam duobus modis, primò ratione ſpecificationis, vt ſunt differentię ſpecierum ſubalternarum & ſpecialiſſimarum, quæ vltimatè naturam generis ſpecificant. Secundo ratione determinationis, vt differentiæ indiuiduales, quæ vltimo determinant naturam ſpeciei ſpecialiſſimæ. Trób. art. 2.

De illatione identitatis vnius ex alia.

CAPVT XXVIII.

NOTANDVM eſt autem vnam identitatem quandoque aliam inferre, & vnā diſtinctionem ſæpe aliam quoque inferre: ſed non ſemper, cum nō ſit eſſentialis ordo inter illas omnes idētitates & diſtinctiones: igitur minima omnium idētitatum eſt obiectiua, quia ab omnibus infertur, & ipſa nullam infert. Sirectus & Trób. art. 3.

Maxima verò eſt identitas rationis, quia omnes alias infert, ſi ſumatur pro ea qua aliquid habet eũdem conceptum omnino indiſtinctum, & nõ pro ea quæ eſt inter ea quæ in aliqua relatione rationis conueniunt: quia certum eſt hominem & lapidem realiter diſtingui & eſſentialiter, quæ conueniunt in aliqua ſecunda intentione, cùm vtrumque ſit nomen & ſpecies, & ſubiectum aliquarum propoſitionum, ſed ipſa identitas rationis à nulla infertur. Hanc ſequitur idẽtitas ex natura rei, quæ omnes alias infert, & non è conuerſo: idẽtitas formalis propriè ſumpta vt eſt eorum quæ ſeparabilia non ſunt ſecundum conceptum diſtinctum, infert identitatem realem. Non enim poſſunt realiter diſtingui inter ſe, quę ab intellectu ſeparari nõ poſſunt: tamen aliquando ſumitur pro ea qua idẽ ſunt ea quorum vnũ eſt de eſſentia alterius, & ſic nõ infert identitatem realem, quia materia & forma ſunt idem formaliter compoſito (hoc modo ſumendo identitatem formalem) à quò realiter (vt
Trõb. art. 3. dictum eſt) diſtinguuntur. Poteſt etiam ſumi Trõbetæ ſolutio, dicentis, quod licet materia & forma, in abſtracto vt tanquam partes ſumuntur realiter diſtinguantur à toto compoſito: non tamen in cõcreto, & vt ſumuntur per modum totius: vnde iſta propoſitio eſt falſa, Homo eſt anima: Iſta tamen eſt vera, homo eſt animatus: Quia licet animatũ ſignificet partem, nõ tamen eã ſignificat per modũ partis, ſed connotando totũ cuius eſt pars.

Identitatis realis etiam infert eſſentialem, ſed non è contrario: quia perſonæ diuinæ ſunt idem eſſentialiter & non realiter. Identitas eſſenaialis infert quoque ſubiectiuam, non primo modo ſumptam (vt dictum eſt) ſed ſecundo, quia illa ſunt eadem

dem eſſentialiter quæ conueniunt in aliqua natura ſingulari, aut identicè, aut per modum informantis,& informabilis,ſed illa ſunt idem ſubiectiuè, ergo diſtinctio eſſentialis infert ſubiectiuam, hoc modo ſumptam. Sed non è diametro,quia virtus & ſcientia ſunt eadem ſubiectiuè,quæ eſſentialiter diſtinguuntur.

Identitas ſubiectiua primo modo ſumpta videlicet pro ea qua quædam conueniunt in aliquo limitato,infert obiectiuam,ſed non è contrario, vt ſufficienter declaratum eſt.

De illatione vnius diſtinctionis ex alia.

CAPVT XXIX.

OMNIVM diſtinctionum minima eſt diſtinctio rationis quia ab omnibus infertur,& ipſa nullam infert. Maxima autem eſt obiectiua,non quod omnes alias inferat, cùm ſibi proximam ſubiectiuam non inferat, neque primo modo neque ſecundo ſumptum,ſed quia opponitur identitati obiectiuæ,quæ (vt dictū eſt) omnium eſt minima. Diſtinctio ſubiectiua infert eſſentialem,quia illa quæ in nullo genere conueniunt,& illa quæ in eodem eſſe non poſſunt, eſſentias habent diſtinctas, & talia res ſunt diuerſæ: ergo realiter diſtinguūtur,ſicque eſſentialis infert realē. Realis verò formalem infert, vt ſumitur pro ea quæ eſt inter conceptus diuerſos: ſed non vt eſt inter ea quorum vnum non eſt de eſſentia alterius quia materia & forma (vt dictum eſt) realiter ab homine diſtinguūtur,licèt non formaliter,quia ſunt de eſſentia eius, niſi velis ſumere ſolutionem ſuperius

Sirectus & Tröb. art.3.

perius datam de concreto & abſtracto: Formalis infert ſemper diſtinctionem ex natura rei, quia diuerſi conceptus & ſuperius & inferius ſemper eſſe poſſunt fundamenta contradictionis, omni opere intellectus ſecluſo. Diſtinctio ex natura rei, etiã infert diſtinctionem rationis, ſaltem propriè ſumptá: quia ſi homo & animal rationale ex natura rei diſtinguantur, non inde ſequitur quod non ſint idem ratione, cùm conueniant in ſecunda intenſione aliqua: nam homo eſt ſubiectum in hac propoſitione. Homo eſt animal & animal rationale etiam ſubiectum eſt in iſta, Animal rationale eſt riſibile, ergo ſic ſunt idem ratione, licèt ex natura rei diſtinguantur.

Solutiones quarundam obiectionum, quæ fieri ſolent contra identitatum & diſtinctionum numerum aſſignatum.

CAPVT XXX.

Sitec. & T16. RESTAT quaſdam ſoluere obiectiones, quæ contra prædictam diſtinctionum & identitatum determinationem fieri ſolent. Igitur argui ſolet, omnis diſtinctio eſt per actum intellectus vel ſine eo, ſed illa quę eſt per actum intellectus, eſt diſtinctio rationis, & ea quę eſt ſine actu intellectus eſt realis, ergo omnis diſtinctio eſt realis vel rationis. Reſpõdeo vt prius, omnem diſtinctionem eſſe realem ſeu ex natura rei, vel generice ſumatur diſtinctio realis, ſeu ex natura rei, ſed non ſi ſumatur ſpecificè.

Arguitur etiam, quæcunque diſtinguũtur ex natura rei, etiam realiter diſtinguuntur, vt patet ex

vi vocabuli. Reſpondeo, quod diſtinguuntur realiter, hoc eſt, non ſola ratione, vt dictum eſt prius.

Arguitur iterum,quæ diſtinguuntur eſſentialiter, diſtinguuntur quoque realiter & formaliter, & ex natura rei: ergo vnica eſt diſtinctio eſſentialis,realis,formalis,& ex natura rei.

Reſpondeo illud non ſequi, ſed bene ſequitur illas omnes eſſe ſimul in eodem.Modo non eſt inconueniens plura indiuidua accidentium ſpecie diſtincta, eſſe in eodem ſubiecto. Arguitur iterũ, ſi illa quæ diſtinguuntur formaliter, eſſent idem realiter, tunc ab vno & eodem ſumerentur vnitas & pluralitas,quod videtur inconueniens.

Reſpondeo, nõ eſſe inconueniens, ab vno ſumi vnitatẽ rei,& pluralitatẽ formalitatũ. Arguitur iterũ,ſubiectũ & propria paſſio vel habent aliquid cõmune vel non ſi non,obiectiuè diſtinguuntur,ſed quæ obiectiuè diſtinguũtur, realiter diſtinguunt, ergo ſubiectum & paſſio realiter diſtinguuntur; dictum eſt autem ea eſſe realiter eadem, quia non habent diuerſas exiſtentias: ergo erunt eadem realiter, quia habent vnicam exiſtentiam, & diſtinguentur realiter: quia in nullo conueniunt, quod contradictionem includit. Si habent aliquid commune, vel eſt reale vel rationis, ergo diſtinguentur realiter vel ſola ratione. Reſpondeo, quod nihil habent commune vniuocè de illis dictum quidditatiuè,tamen habent ens in quo conueniunt, quod dicitur de illis denominatiue: habent quoque realitates ſuperiores, ſicut homo & riſibile habent animal & ſubſtantiam, in quibus conueniunt realiter,& prædicantur de pſſionibus denominatiue: ergo ea quæ obiectiue diſtinguũ-

tur, non realiter oportet diſtingui. Multæ ſunt aliæ obiectiones contra hanc partem: ſed hæ ſunt præcipuè. Breuitati igitur quantum poteſt fieri ſtudens huic operi finem impono. Deum opt. Max. ſupplex exorans, vt ad finem vltimum & optatum nos perducere dignetur, vt ipſum clarè intuentes cum ipſo fine fine lætemur. Amen.

Deo ſemper vbique laus & gloria.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE